TRACTATUS
De
INTEMPERATO HIPPOCRATICO,
SEU
CACOCHYMIIS GALENI
IN
Tres libros diviſus, quorum primus mixtionem corporum naturalium, ſecundus temperiem naturalem, & tertius ipſum intemperatum morboſum juxta Neotericorum Mathematico-Mechanico Chymica Principia tam Philoſophicè quam Medicè enodat.

OPUSCULUM.

Planè novum, hucusque non viſum, ipſis medicis & etiam Chyrurgis in ordine ad fœlicem praxin non ſolùm utiliſſimum, ſed etiam vel maxime neceſſarium, Inſtitutionumque noſtrarum medicarum complementum.

AUCTORE
JO. JACOBO FRANCISCO VICARIO,
Philoſophiæ & Medicinæ Doctore in perantiqua & celeberrima Cæſareo-Auſtriacâ Archiducali Univerſitate Friburgenſi, Profeſſore Ordinario Seniore ac Primario, p. t. Facultatis Medicæ Decano, Excelſi A. A. Regiminis Archiatro, nec non Academiæ Leopoldinæ Naturæ Curioſ. Colleg. Anaximandro dicto.

ARGENTORATI,
Sumptibus DIETERICI LERSE, M D CCXII.

VIRIS

NOBILIBUS, STRENUIS, PRUDENTIBUS, CONSULTIS DOMINIS,

DN.

CONSULIBUS, QUÆSTORIBUS,

Cœterisque Magiſtratus Civici Lauffenburgenſis

MEMBRIS

In perpetuam patrioticam Memoriam

D. D. D.

Syncerißimus Patriota

AUCTOR

Rauracus Lauffenburgenſis.



PRÆFATIO.

ECce Benevole Lector, *Vir ſum juxta veterrimum illud proverbium Germanicum, quod ait:* **ein Wort/ ein Wort; ein Mann/ ein Mann;** *Policitus nempe fueram in Editione Baſeos meæ ſecundâ Argentorati per ſolertiſsimum omnique candore refertiſsimum Dominum* Lerſe *Typograhum recusâ, me Baſi huic noſtræ mox tractatulum de* Intemperato Hippocratico *adjuncturum, idcirco quoque, ut Vir ſum, nunc ſto promiſsis, & erudito orbi quæ ſpopondi, communico, eoque libentius hoc præſto magis, quo opuſculum noſtrum quaſi Inſtitutionum noſtrarum medicarum eſt complementum, atque materia iſta vere hucusque inter medicinæ deſiderata numerari potuerit:*

unde evenit, quod ſpecificô hoc intemperatô neglectô, copia, imò myriades morborum omnem etiam ſaniſſimô judicio adhibitam medelam irriſerint; Pone enim morbum quendam diuturnum v. gr. cephalalgiam aut hæmicraniam quæ ſæpe (lege Poterii *obſervationes) adeò contumax deprehenſa fuit; ut cuncta Medicorum Conſilia reſpuerit, antivenereo tamen quodam auxiliô brevi feliciſſime curata fuerit; ſit in ſuper Chronicus affectus aliùs, qui aperientia poſtulat, quotus quæſo? è radice hoc ſæculo corrupto, absque ſpecificis antiſcorbuticis tollitur? cur amabo? Plurimi, iique inſignes chyrurgi non rarò in tractandis non tam tumoribus quàm ulceribus ſæpe etiam leviuſculis viſcis (ad præfixam curationis metam devenire nulla arte, & opera queunt; niſi quod obicem* intemperatum occultum *non reſpiciant: Par ſane & æqualis omninò ratio etiam morborum internorum haberi debet, quippe*

pe


pe in omnibus fere casibus internis intemperatum *ante omnia velut morbus primarius Medico serio ob oculos ponendum, secùs Æthiopem lavabimus, considera catarrhos, defluxiones, Asthmata & innummera alia, quæ ex his malis averruncabis? nisi prius intemperatum probe, amarum ne videlicet an acidum, viscidumne an tenue, austerum an acerbum saporem & consistentiam teneat, cognoscas? nec etenim attenuantia in tenui nec inviscantia & constringentia in crasso, nec in amaro resolventia conveniunt, hinc satis stupere nequeo multoties, in quovis casu cephalico, vel dolore, mox pillulas purgantes & resolventes velut quandam panacæam cephalicam in usum vocari, ubi sæpius malum potius exasperatur, & in pejus abit, quemadmodum millies observavi. In benignis febribus (simplicibus etiam turbatæ mixtionis sanguinis morbis) summam me herclè hæc nostra doctrina se-*

dem meretur, quò enim majus prius in corpore latuit intemperatum, eò etiam tædiosior imò periculosior ac diuturnior erit affectus, & facilis est (tametsi malum jamjam ex integro sublatum videatur: facilis est recidiva) dum econtra, qui temperatum obtinent sanguinem & humores (ubi omnia quasi constituentia sunt quoad quantitatem, qualitatem, & figuram, situm, ac motum in æquilibrio, ubi si quod adest intemperatum, adhuc facilè investigatur) tunc levissimo negotio pristinam recuperant valetudinem Patientes, ita ut etiam medicus, qui tali in casu curationis scopum non attingit, vel maximè culpis subjaceat; ast ibi saltus, ibi Rhodus, ubi ita mixtio sanguinis confunditur & turbatur, ut ejus modus hucusque rarissimè & imposterum adhuc rarius (veluti in febribus Petechialibus & Pestilentialibus accidit) etiam omni conatu & viribus, imò & lyncæis oculis perspici, & erui nequiverit,

rit, & in hoc certe malignitas (id est clandestina & malitiosa mixtio) consistit, hinc Cous, hinc Galenus, hinc tota Medicorum illustrissimorum phalanx usque dum pro iis habuerunt, qui periculosi imò tales sint, qui dum maximè adulantur, maximas insidias vitæ struunt, adeo ut Medicus vix unquam securum prognosticum efformare possit, milleni etenim cum saluberrimis signis ad tartara descenderunt, ubi alii quasi jam jam conclamati contra omnium spem restituti fuere, quemadmodum sæpius exclamare oportet, quid hoc! urina bona, lingua bona, pulsus bonus & tamen æger moritur? attamen, Pro dolor: cum in hoc casu natura ipsa succumbens victas porrigat absque ulla Medici culpa oneri exantlando impar manus, iste tamen pro naturæ non insurgentis peccato Hircus esse debet; utinam non & ipsi Machaonis filii subinde, ut se suamque doctrinam in cœlum evehant, ut domum maturè locupletent,

pletent, ut loculos ſaginent, hoc ſcelus incurrerent! qui ut ſcopum attingant, ſuos collegas quovis modo ſupprimunt, juniores multoties (ut in hunc adjutorium intendant) variis ſpecioſcis titulis ſubornant & cogunt, apud alios (ut plurimum generis fœminini) denigrant, & odio exponunt, obliti verbi illius ſacri dicentis: quod tibi non vis fieri alteri ne feceris, *ſed ſatis de his & ad noſtram properemus metam. Ex allatis abunde patescit Doctrinam hanc noſtram Conſideratu digniſsimam eſſe, quippe absque ea nemo in curis fœliciter progredietur etiam in benignis morbis, ſperoque ſimul hanc melius impoſterum fœneraturam lumen; Rimare negocium intimius, & certò certius aſſenſum dabis; Vale & his interea fruere donec reliqua (ſi Deus vires firmabit) ſequantur; Vale, & fave.*

LIBER



LIBER PRIMUS.

De *Mixtione Corporum naturalium.*

CAPUT PRIMUM.

De *Mixtione & Mixtibilibus.*

§. I.



Ertum est, imò plusquàm abundè constat, hominem à Medico neutiquam (quatenus scilicet ex materia prima & forma substantiali, aut principiis Cartesianis in fieri componitur) considerari posse, aut ulla ratione sic arti suæ subjici debere, ast potius & vel maxime, quatenus insignibus mutationibus & alterationibus, indeque diversis morbis subjacet, & quidem velut Mixtum quoddam ex variis iisque multiplicibus sibi invicem contrariantibus principiis, vel elementis dictis conflatum, ratione quorum non tam illius

temperies, quàm etiam intemperies ſuam ducit originem, conſequenter eundem tantumodò impræſentiarum in facto eſſe contemplabimur; ut autem hoc Mixtum exactius intelligamus, placet imprimis in medium quid ipſa ſit mixtio ſeu corporum compoſitio & concretio, hincque quid ſit mixtum, compoſitum, ſeu concretum (quæ ſynonima ſunt) proferre, quod ſequentibus præſtare conabimur; ſit ergo.

§. II. *Mixtio* aſſentientibus omnibus Philoſophis, eſt *miſcibilium alteratorum unio*, quâ poſthac mixta ea ſunt in Temperie ſeu qualitate, verbi gratia calida &c. quæ ſaltem ad actiones ritè obeundas requiritur: Explico, primò ipſa Mixtio quid innuit, quod ex variis diverſi generis rebus conſtare debeat, nec enim una eademque res, verbi gratia farina hordei ſola invicem verè commiſceri (dum agitatur,) dici poteſt, duntaxat enim partium ſuarum alium, & alium ſitum importat, optimè autem inferemus ſi eidem farinam verbi gratia ſiliginis &c. addimus, longaque inter ſe invicem agitatione alium & alium (ita ut una ab altera ſeparari non queat) earum ſitum procuramus, tum revera mixtio illarum dicenda eſt, quod idem locum quoque ſortitur, dum varii liquores, verbi gratia aqua meliſſæ, Tinctura caſtorei, opii cidoniati, ſyr. calendul. ſpir. matrical. liquor. Cornu Cervi ſuccinat. pro ſcopo hyſterico &c. inter ſe confunduntur, & ſic verè ac realiter commiſcentur, Græcis hæc mixtio *μίξις* appellatur, quod vocabulum propriè miſtio audit, hæc vox benè advertenda eſt ad diſtinctionem craſeos, quæ potius à miſtione emanantem qualitatem denotat: *μίξις* autem exponitur velut concubitus, eò quòd elementa quaſi blandè & ſuaviter coëant, atque commiſceantur: adjungitur ſecundò ipſi definitioni *miſcibilium*, quo itidem inſinuentur ipſa principia ſeu elementa, ex quibus corpus noſtrum (etiam quodcunque aliud naturale) conflatur; dicitur autem *miſcibilium*, ut pluralitas illorum clarius pateſcat, quæ vel maximè ad corporum compoſitionem requiritur, unicum enim ſi tantuùm foret, omnia quoque corpora ejuſdem forent ſpeciei vel ſaltem unius naturæ, haberent etenim quaſi eandem formam eſſentialem, cùm quoque nacta eſſent earum

earum partium notabilem diſpoſitionem, quæ ad conſtituendum illud elementum, ex quo conſtarent, requireretur: revera ſi unum tantum eſſet principium componens internum, nullum corpus differret ab altero, corpora enim ſingula nil aliud eſſent, quam ſuum principium; aqua verbi gratia cum *Thalete Mileſio*, vel ignis cum *Heraclito Epheſino*, aut *aër cum Anaximene*, aut terra cum aliis quibusdam &c. ergo à ſe invicem non differrent, ſi enim quid diverſum à ſuo principio eſſent, certè aliquid continerent præter ſuum compoſitionis principium, quod tales tamen concedere nequeunt, ni contra propriam hypotheſin plura velint admittere principia: adeoque neceſſario debent eſſe plura, elementa non ſunt illa, ex quibus certæ corporum ſpecies primò producuntur, & componuntur, ſic talia corpora neceſſariò ſunt plura, alias omnia, ut diximus, eſſent ejusdem ſpeciei, cuncta enim corpora haberent eandem formam eſſentialem, ſeu eam partium notabilem diſpoſitionem, quæ requiritur ad conſtituendum elementum, ex quo conſtarent, ergo & eſſent ejusdem ſpeciei.

Neceſſitatem horum plurium elementorm & quidem diverſorum omnes omnino agnoverunt philoſophi, nec immerito, quippe cùm materia prima per ſe purè paſſivè ſe habeat, nec quidpiam operetur, ideo & ad affectiones & operationes corporum, nec minimùm contribuere potis eſt, idcirco omnino præſertim in ordine ad varias temperaturas, alia & alia principia ſeu elementa, ſecundaria tamen, concurrere debere prudentiſſimè conjicimus; non aliter ac cernimus totum mundi ſyſtema ſeu macrocoſmum molem eſſe ex 4. illis Elementis hucusque creditis, igne, aëre, terrâ, & aquâ compactam, ſic revera pariter corpora ſublunaria quævis, quæ vulgò *mixta* in ſpecie dicuntur, ſua quoque ſingularia elementa, ſeu cunctorum talium aliquas particulas ad ſui compoſitionem recipiunt, quò ſic eæ decenter & variè contemperatæ varia corporum mixtorum genera, temperamento adeò & hoc ſequentibus operationibus diſtincta progerminent. Addidimus Tertiò λὶ *alteratorum* ſeu immutatorum, nec enim compoſitionem, ut in ſe & ſuâ formâ ſunt, ingrediun-

tur, ſed neceſſariò prius alterari, & quaſi immutari neceſſe habent; alteratio autem dicta vel maximè in actuali quadam eorum ſeparatione, vel ſaltem facili ſeparabilitate conſiſtit, quemadmodum & ipſi Ariſtotelici miſcibilium horum in exiguas particulas diviſibilitatem in generatione mixtorum deſiderant, *Zacchæus* Inſtit. phyſ. l. 6. c. 12. & cum ipſo *Zeiſoldus* in notis, & *Zabarella* l. de qualit. c. 5. conſentiente univerſâ ſcholâ; nempe in mixtione diverſas earum particularum elementarium portiones ſibi invicem variè & minutiſſimè diviſas permiſceri volunt, ita quidem, ut miſcibilium iſtorum nullum ſub ſtatu ſuo phyſico ſeu ſenſibili ſuperſit veſtigium. Quamvis in actu entitativo, id eſt, re ipſâ inſint, atque ſub hoc conceptu verè dici poteſt, quamlibet partem mixti eſſe mixtam, ut ſcholæ rurſus ex *Ariſtotele* c. 10. lib. de generatione & corruptione unâ voce clamitant. Vis, ut quibusdam te in evidentiſſimum hujus aſſerti teſtimoniũ tam ex artificialibus, quàm naturalibus convincam? convinco; Imprimis conſidera ipſiſſimam piſtoribus, & mulierculis notiſſimam panis confectionem, qui non niſi in exactiſſimâ farinæ etiam minimæ particulæ ab aqua & fermento exacta diviſione & in unum coitione confit: meditare generationem vini ex muſto, quæ amabo te, à motu fermentativo non emergit particularum ſeparatio, & in minima diviſio. Unde, rogo, lac dulcedinem perdit? niſi quòd, quemadmodum in ſyncriſi ex minimis diviſis coaluit, rurſus tam partes ſalinæ, quàm aquoſæ, & butyraceæ aut oleoſæ ex natura ſua coëant, & ſic quodlibet illi, de cujus genio eſt, propter affinitatem materiæ, & laterum æqualitatem aſſociet; centena alia; quæ ipſe facilè erues, prætereo, unicum adhuc noſtrum Coryphæum *Hypocratem* affero, qui menti huic noſtræ lib. de priſca medicina proximè & apertè accedit, dum naturæ minima ſeu particulas minutiſſimas corpora naturalia conſtituentes, primaria rerum elementa vocat, dùm τὰ μυεία, ſi contemperata ſunt, hominem, non afficere, ſi verò ſoluta hominem lædere aſſerit. Cadit hinc ex ſe ipſo quæſtio, utrum elementa formaliter, an tantum virtualiter mixtis inſint? Primum plurimi etiam Peripateticorum cum Conimbricen-

ſibus

ſibus rectè negant, mixtio enim eſt miſcibilium N. B. alteratorum ſeu juxta formam ſuam immutatorum unio; ſecundum, quadantenus admitti debet, reſolutio enim (quæ mixtioni jure opponitur) ſparſa per invicem Elementa iſta rurſus ſeparando & diverſis quidem modis (quibus fit in mixtis) colligit, nobisque ſiſtit, adeò ut in compoſitis dein eorum virtutem operativam meritò agnoſcere cogamur; inde omnino ſtatuendum eſt, illa neceſſariò in mixtis actu ſcilicet entitativo ſecundum ſuas particulas ſparſas & diviſas contineri, quarum dein collectio ad formam & actum illum phyſicum unicè requiritur, *P. Honor. Fabri* tract. 6. l. 1. prop. 44. & ſequent. pluribus usque ad finem libri: quartò denique definitioni annexuimus, quâ poſthac mixta ea ſint in temperie, quæ ſaltem ad actiones ritè obeundas requiritur; videlicet ut quænam noſtra in hiſce pagellis ſit cogitatio, demonſtraremus: Hoc in paſſu corpus humanum dupliciter conſiderari meretur: primò quatenus partes ejus ſolidæ determinatam quandam organorum diſpoſitionem, debitam nempe partium conformationem, magnitudinem, ſitum & numerum (quibus has vel illas actiones edere aptæ exiſtunt) ſortitæ fuêre; & ſecundò quatenus quoque eæ à vitali quodam principio materiali (non mente, hæc enim curationibus non ſubjacet) ad illas operationes rectè perficiendas quaſi animantur, vivificantur, ac in certa temperie (de qua p. 2.) conſtituuntur, eâ etenim ablatâ & læſâ mox etiam operationes læduntur, imò ſæpe ſæpius auferuntur.

§. III. Elementa ſeu corporum naturalium principia ſecundaria ſuprà memorata hanc habeant eſſentiam & naturam neceſſe eſt, ut primò in ſe ſpectata etiam ſint corpora ſimpliciſſima, ex quibus tamen omnia fiunt, & ea in aliud corpus per ſe ſubſiſtens dividi nequeant; definiuntur ſic, quòd ſint corpora ſimplicia ex quibus quid unum conſtituitur, & in quæ ultimò reſolvitur id: ſecundò ut & non ſolùm omnium conſervationis & interitus cauſarum, affectionum, colorum, ſaporum, inflammabilitatum, temperierum centenorumque aliorum, imò quorumcunque tandem phænomenorum, qualitatum ſanitatis, morborumque pariter origines deduci

queant, debentque. Tertiò ſimul corpora qualiacunque (quantum ſaltem hucusque ars patefecit) in eadem (non enim datur reſolutio usque ad materiam primam) denuò, ceu in ſua principia conſtitutiva rurſus reſolvi, licèt illa in alia diverſarum formarum corpora non ſecentur, prout & ipſi Peripatetici cum ſuo Coryphæo *Ariſtotele* 3. de cælo c. 3. text. 33. dicente: manifeſta *ſunt hæc ex illis ſegregata*: aſſerunt; nempe in quæ corpora per metaſtaſin ſeu ἔκκρισιν reſolvuntur, ex illis quoque per σύγκρισιν ſeu commixtionem & unionem conſtant, *Baſ.* l. 1. c. 2. §. 3. in fine.

§. IV. Mixtio eſt dnplex ſcilicet vel æqualis, vel inæqualis; illa dicitur ad pondus, hæc ad juſtitiam; ad pondus vocatur ea, ubi omnes particulæ Elementares æquali quaſi menſurâ & pondere commenſuratæ libratæquè exiſtunt, ut nec unius aut alterius exceſſus, vel defectus obſervetur, quemadmodum & in proportione arithmethica certa & æqualis differentia datur, ut enim inter 2. 4. 6. 8. 10. &c. æqualis eſt differentia duitatis, aut, ut ſe habent. 2. ad 5. ſic 5. ad 8. & 8. ad ii &c. ita mixtio hæc data etiam ſit æqualis, propterea & arithmeticæ proportionis eſſe ſtatuitur: Talis mixtio æqualis omnino in rerum natura non tantum poſſibilis eſt, ſed & eam dari omnino mihi perſuadeo; nec enim rationi, multò minus ipſius ſummi Creatoris Omnipotentiæ repugnat: Inæqualis *mixtio* vocatur ad juſtitiam, videlicet, quia in hac minutiæ non tam æquam menſuram & pondus ſortiuntur, ſed ſaltem illud obtinent, quod pro dignitate convenit, hinc & iſta mixtio quaſi ex proportione geometrica æſtimatur, ſicque pro fundamento habet ſuum cuique tribuere jus, neque ſemper ſummum jus proſequitur, ſed ex æquo & bono proſpicit, non aliter, ac in numeris 2. 4. 8. 16. &c. aut 3. 6. 12. 24. &c. ubi non eſt abſoluta quædam æqualitas: nilominus tamen eâdem proportione reſpectivâ ſe inſequuntur. Subintelligimus autem hic mixtionem radicalem, quæ non ſolùm congregationem aliquam minutiarum, aut contactum leviculum, ſed inſuper & potiſſimum connexionem deſuper & cohæſionem aliquam magis minusque implicatam, firmamque & innumeris modis variam continet, ut in omnibus

ſtabi-

stabilibus accidit, sicque distinguitur à fumosis & vaporosis, ubi quidem etiam adest mixtio & compositio, quæ pariter involvit dictam minutiarum congregationem, sed sine contactu intra aërem interfluum; deinde à fluidis differt, quia levis quidem adest contactus, intercedit enim perpetua vehiculi agitatio.

CAPUT II.

An Principii mixtorum titulum mereantur ipsa 4. Peripateticorum Elementa, Aer, Ignis, Aqua, & Terra?

§. I.

QUænam nunc propriè dictas principii conditiones in foro medico absolvant, disceptatum etiam ab ipsis fere medicinæ incunabulis usque in hodiernum diem est plurimùm; Quivis ex cathedra suam proponit opinionem, dicit sententiam, confirmat quibusdam, nescio unde, emendicatis rationibus, ast sæpius ex præconcepto aliquo præjudicio falso, aut in scholis hausta futili hypothesi magis quàm ex generosâ, indefessâ, & continuâ indagandi & observandi solertiâ, quæ tamen unicè facem præferre deberet, malumus namque potius venerari senium, & adorare antiquitatem, contraque agere, opprobrio nobis ducere, quàm per multos labores in ipsam rei veritatem profundiorem inquirere: non sic certò agendum est medico, nec enim licet cum prototypo Divino, homine, sic ludere, clamat enim sanguis ejus ad cœlum; cùm itaque Res hæc tanti sit, placet nunc potiores hypothesium sententias ad æquam bilancem ponere; constituantne principium tale ipsa 4 universalia hucusque & ab Aristotelicis ac Galenicis pro infallibilibus credita Elementa, ignis verbi gratia, aer, aqua, & terra; vel an primò sint 3. Principia Chymica, Sal, sulphur, & Mercurius velut activa, ac terra damnata seu caput mortuum & phlegma tanquam passiva; vel an secundò Cartesii Elementa 3.

vide-

videlicet primò ſubtilis æther, ſecundo alterum indefinitæ, & tertium definitæ figuræ, momentum nanciſcantur &c. vel aliud elementa conſtituat. Hîc Judicem tantæ controverſiæ abſolutum non agam, attamen nulli partium addictus quid ſentiam, quidque ferè in continua triginta annorum praxi omnium probatiſſimum repererim, in ſequentibus manifeſtabo.

§. II. Nunc primò quoad illa 4. generalia Elementa peripatetica ipſi *Galeni* aſſeclæ adeò coluerunt, ut & deſuper 4. ſuos humores alimentarios in ſanguine, verbi gratia ſanguinem in ſpecie, roſeam nempe illam partem, bilem, melancholiam & pituitam, fundaverint, ſed & adhæc 4 temperamenta, cholericum, pituitoſum, melancholicum, & ſanguineum ſuperſtruxerint, imò & inde tantum 4. qualitates, primas dictas, frigidum, calidum, humidum, ſiccum, (reliquas tantùm ab hiſce dependere) ſtatuerint. Aſt condonabunt nobis inſignium cæteroquin horum virorum manes, quemadmodum & ii, uti ſpero, qui etiamnum in vivis huic menti (omnia ſaniora reſpuentes) ſeſe mancipant, ſi hanc doctrinam cothurnis *Herculis* incedere, ſicque fundamentis niti ſtare neſciis, inde neceſſariò ruentibus, audacter cum hodiernis experimentalibus Medicis ediſſero; ut autem aſſerti noſtri fundamentum habeas, cape, quæ nunc in Elementorum horum examine ſpeciatim adducemus.

Primò Ignem, quod concernit, cùm hic ſit tantùm motus quidam particularum ſulphurearum celerrimus, quo hæ attenuatæ in forma ſubtiliſſimarum exhalationum è ſubjecto igniendo exhalantes ab aëre ambiente nitroſæ naturæ accenduntur, & ignem ſic efformant, ſcilicet corpuſcula ſulphurea, nitroſa intra compagem inflammabilium in minimas minutias ſparſa, & concluſa latent, nec ignis formam ullatenus habent, donec inde accedente rapidiſſimâ agitatione ſui Juris facta ac collecta connatum impetum præſertim accedente aere obſtacula externa amovente motumquè accelerante, liberè exercere queunt, & ſic ignem, qui prius neutiquam erat, ſiſtunt: Ex hoc veriſſimo ipſius Ignis generationis modò dilucidè omnibus etiam talpâ cœcioribus

&

& clarè perſpicuum fit, atque omninò in comperto erit, ignem ut ignem nequaquam corporum principium vel ad momentum etiam eſſe vel dici poſſe, longè enim aliud quid dicit λὶ *Elementum* alicujus corporis, quàm dicit moveri hoc vel illud Elementum tali & tali modo, & inde generari v. gr. ignem, motus enim uti & figura &c. quemadmodum infrà de corporum affectionibus inſtruemur, non ſunt principia Entium naturalium conſtitutiva, ſed duntaxat proprietates quædam & affectiones univerſales & catholicæ, quibus dein res agunt, quod agunt: ſecundò Ignis potius, aſſerente id præprimis philoſopho per Ignem *Helmontio*, analyſtæ corporum (non tamen omnium abſolutè) nomen meretur, imò ſi ad æquam ratiocinii bilancem rem trutinas, deſtructor eorum (etſi ſubinde nobile exinde prodeat medicamentum, aut aliqua panacæa univerſalis, nam ignis omnis formæ materialis deſtructor eſt, *Helm.* l. de Elem. inde & rerum mors artificialis vocatur; ſociabilis rebus aliquo pingui, inflammabili conſtantibus, ita ut nullibi absque maniſeſtiſſimo imò inevitabili ſubjecti interitu ſe ſe ſiſtat, quomodo ergo, quæſo, principiare valet? valet hîc, quod *Lucretius* l. 1. de rerum natura canit:

Quapropter, qui materiam rerum eſſe putârunt,
Ignem, atque ex igni ſummam conſiſtere ſolo,
Magnopere à vera lapſi ratione videntur.

Nec eſt hîc, quòd te moveat, etiam juxta nos in mixtis particulas ſulphureas, item inflammabiles, ſtatuminari, nam longè aliud eſt eſſe materiam Entis cujusdam ex ea generabilis, aliud eſt eſſe ipſam materiam ſeu ens illud, è materia illa productum, ſic mehercle ipſum ferrum (idem Judicium de ligno, lapidibus, cèra & quibuscunque aliis ſubjectis ſolidis haurito) ut è fornace fuſum nec adhuc dum culter, nec gladius, nec quidpiam aliud adhuc eſt, tametſi ex iisdem ab artifice & culter, & gladius & centena alia juxta regulas mechanicas efformari queant: taliter nec abſimili ratione, etſi partes ſulphureæ concretis inexiſtant, non tamen conſpicuæ ſunt, & nec formale ſulphur ardens, nec ignem exhibent, quemadmodum nec ullam à ſe qualitatem

manantem nisi mota edere possunt, veluti ipsa aqua fontana cum farina v. gr. tritici in panificio longa agitatione commixta & agitata, tandemque ita insensibiliter dividitur, eique unita (ut ex aucto pondere deprehenditur) manet, ut omninò in panem transiisse videatur, nec tamen ullatenus refrigerare aut humectare dici apta est, exemplo planè infallibili, Elementa rerum ita per mixtionem immutari, ut nullatenus amplius antiquâ nempe formâ omnino exutâ priora corpora simplicissima dici possint. Tertiò nec in mixtis reperitur, quis enim credet, ignem elementarem, quem quærunt, supra globum lunæ existentem, superantemque suâ sphærâ regionem aeris per centena milliaria, trans aeris frigidissimum clima penetrando aeri commixtum ad imperia seminum & mixtionum novas constitutiones concurrere debere, vel posse; nec culinarius in mixtis reperitur, si enim actu inesset, deberet actu consumere, atque habere elementum non extra se, sed intra se, cùm una pars ignis nutriri debeat, quàm altra. Scio equidem quarto quô potissimum, mi Galenice, fundamentô ad probandam saltem virtualem Elementorum ignis inexistentiam nitaris; videlicet oggannis, an ego solus tam ignarus sim, qui non momentaneè cernat, dari corpora (uti velut lactuca, sempervivum) frigida; calida, ut Zinziber piper; frigus, ibi utique ab aqua, hîc calorem non nisi ab igne procedere, insulsè ergo corporibus me ignem denegare: Ast paulisper morem gere, dicam, quid res sit, nempe totô cælo aberras, si piper esse per se calidum (par ratio sit de aliis calidis nominatis) tibi persuadeas, nec enim in rerum natura dantur corpora talia, per se calida, sed quæcunque tandem talia appellantur, sunt solummodò respectivè talia, quatenus nimirum affectiones & motus in corpore edunt, quæ titulo caloris insigniuntur, calor etenim omnis (naturalis scilicet) duntaxat est qualitas ex dictarum particularum sulphurearum & salinarum celeri quadam agitatione motarum resultans corpori motum, quô dein aliæ & aliæ partes rursus intimè moventur, agitantur, & sic, tandem calor evenit, non ab igne, quemadmodum experientia nos manifestè edocet in 2. asseribus quercinis,
qui

qui vehementiſſimè invicem moti & attriti brevi ignem evomunt; dubitas etiamnum de hoc? adito tantùm tornatores lignorum, qui te affabrè, manubriis ſuis aut aliis operibus taliter denigratis & quaſi pictis confundent: In animalibus rurſus à ſanguinis fermentativo & ſpirituum elaſtico motu calor procedit, motu enim ceſſante in ſyncopticis mox toti frigemus, aucto e contra illô, animi excandeſcentiis, confeſtim intenſius rubemus, ita profectò, cùm longè ſanior explicandi caloris ſit modus, peſſimô conſiliô hunc ab igne, qui nunquam corpora conſtituere poteſt, nos Medici deducimus; ſanè doctrina hæc de ignis inexiſtentia infirmiſſimô ſtat talô, quæ enim hæc proba? datur calidiſſimum & ſicciſſimum in corporibus nonnunquam, ſed ignis eſt corpus calidiſſimum & ſicciſſimum, ergò datur ignis in corpore; non reſpiciunt nempe ad modum fiendi nec caloris, nec ſiccitatis, de illo jam egimus: de ſiccitate res identidem clara eſt, quoti enim ſunt, qui atrophia v. gr. brachii &c. laborantes, intenſiſſimum calorem aut ignem accuſârint, dum ſucceſſivè pars contabuit? puto revera nullus: Novi virum, qui brachium totum aridum circumgerebat, qui aliqualem præter dolorem nullum calorem in tabeſcentia perſenſiſſe ſe ajebat, adeoque meritò concludo, veri nec hilum ſimile eſſe, ignem eſſe principium corporum conſtitutivum, quocunque tandem modo jam afferatur.

No. Secundò. Aſiaticô fere ſtylô controverſiam de igne pertractavi, aſt meritò quippe utut in ordine ad alias ſciendas adhuc locum habeat in medicina noſtra ſententia majorem fructum affert. Digredimur nunc ad *aërem*, cujus in componendis corporibus Patronum ſingularem egit *Anaximenes Anaximandri* diſcipulus, qui hunc unicum mixtorum elementum & principium eſſe ſtatuminabat; aſt & hic ipſe ad conſtitutionem corporum nullum omninò penſum contribuere videtur, quippe tametſi pars ſit, quod decor univerſi exegit, totius mundi ſyſtematis, non ita ſe reſpectu corporum partialium (licèt & ſubtiliſſimus foret) habet, ſecus deinde partes ſolidas aut duras, ſeu molles reſpicias, in horum enim poris duntaxat nidulatur, ſæpeque non ſine

ſumma moleſtia, uti in flatibus, qui non niſi incluſus & expanſus aër ſunt, hinc inde ſeſe exerentibus comperimus; ſecundò etiam in ipſis humoribus & ſanguine (ſi ſubtiliſſimam unâ ſpiritus conſtituentem portionem excipis) non niſi præternaturaliter eſſe valet; infla enim in carotidem, jugularem verſus cerebrum aerem, & mox animal humi corruere cernes; ſi dicas etiam ſpiritus portionem aeris continere, regerò non ſolum, ſed conſiſtere potiſſimum in parte ſulphurea & oleoſa, ſubtiliſſima, deinde non eſſe ipſum conſtitutivum ſanguinis, ſed tantum ad melius eſſe, & promovendum ſanguinis circulum, vitalemque calorem &c. contribuendum, adeoque aërem non eſſe principium eousque ſemper mihi indubium erit, donec meliora, quæ tamen potius ſperanda, quàm evincenda erunt, edocear.

Quod *Aquam* concernit, iſtam quoque *Helmont.* unicum eſſe rerum elementum per ſeminum directionem, eò quòd liquore alcaheſt omnia corpora in aquam reſolvere potuerit, ſed licèt vegetabilibus det incrementum, vix credendum eſſe corpus ſimpliciſſimum & Elementi nomine dignum, & quia experientia nos adhuc dum deſerit, nec hæc ſententia à labe incertitudinis & inſufficientiæ vindicari poteſt. Quamvis & terreæ & aqueæ in compoſitis reperiantur particulæ, non tamen adeò ſunt conſtitutivæ, ut actionem quandam de ſe edant, aut ut ipſa terra & aqua Univerſum conſtituentes ſint, ſed potius quod vi ſeminis enaſcantur & teſte Helmontio reſolubiles in aqua terreæ. *Helmont.* l. de Elem. art. quæ hìc videtur terra non eſt Elementum, nam iſta terra per pyrotechniam in aquam tranſmutari poteſt, quamvis à natura id defacto non fiat, quia agens deficit. Multa dantur corpora, ut Mercurius, cryſtallus, in quibus nullum horum elementorum veſtigium deprehendere licet: inſufficientiam autem horum Elementorum ſatis perſtringunt *Boyle* in Chymiſta ſceptico, & *Helmont.* hinc inde in ſpecie tract. miſt. compl. Element. figment. vide de utrisque his plura c. 4.

No. Tertiò. Ut autem Elementorum numerum magis certum evincerent, & philoſophi quidam & *Galenici*, eum à qua-

qualitatibus suis collegerunt, cùm formæ qualitas nobis non nisi per suos effectus & proprietates, quæ ex eorum actione constituuntur, innotescat, hinc & ex 4. qualitatibus etiam 4. constituerunt Elementa, ita quidem, ut harum una prædominium, altera verò subdominium haberet. Verum enim enim verò quandoquidem hæ ipsæ 4. qualitates non secùs ac aliæ seu secundæ seu tertiæ appellatæ sint modi (ut infrà fusius edocebitur) saltem materiæ ex ejus particulis corpora componentibus variè conformatis, contextis & diversimodè motis resultantes, planè inaniter quaternionem suorum Elementorum ex hisce probare annituntur, hinc ex *Helmontio* qualitates istas relolleas (id est, non procedentes immediatè ex fermentis & rerum seminibus) vocat: Inde jam suis temporibus *Hypocrat.* illas *l. de veteri Med.* insufficientes multis argumentis declarat, quæ fere in seqq. consistunt: primum deducit ab *authoritate majorum*, qui ex qualitatibus elementaribus artem medicam quærere velle novum modum esse asserebant, hinc etiam primi artis Inventores has rejecisse, & potius sapores tanquam morborum authores attendisse; secundum desumit à Diæta; ubi cottidie observare licet, alimenta nonnulla v. gr. triticum, caro &c. vel sine ordine ingesta, vel non ritè præparata, sine ulla per qualitates elementares inductâ aut sublatâ alteratione nos lædere, & denuo hæc benè præparata, aut aliàs mutata nos restituere: Tertium oritur ab *alimentis medicamentosis*; alimenta enim, quæ nos nutriunt, & corpus sanum conseruant, temperata sunt, sique verò nos nonnulla alterant, accidit hoc ab illis, non quatenùs (licèt tales proprietates à quibusdam iis attribuantur) calida aut humida &c. sed quatenus amara, salsa, acria, acida &c. sunt; quartum promanare potest ab ipsa *medendi methodo*, nulla etenim cura per calidum aut frigidum fit simpliciter, sed per calidum acerbum, calidum tenue, aliasque subcontrarias vires sibi ipsis habentia; quintum propullulat à subita unius *extremi in alterum istarum qualitatum permutatione*, uti in febribus, extremis rigoribus acutissima subitò succedit febris, & post sudores adeò subitò æger, ac si nunquam febricitâsset, friget, revera nec frigus mutatur in ca-

lorem nec econtra, ergo aliud quid ſubeſſe neceſſe eſt. Quintam ſiſtit ipſa *morborum duratio*, quippe, utut ſæpe facilè mutentur, attamen in nonnullis morbis v. gr. febribus ardentibus, peripnevmonicis &c. calor ſæpius eſt ſatis diuturnus, inſinuans, eò ipſô non ſolùm eſſe calidum, ſed amarum & calidum idem, & calidum & acidum, & ſalſum & calidum & alia infinita; ſeptimum deſtillat à *defluxionibus*, in quibus ſe æger eousque malè habet, quamdiu materia acris eſt, hanc etiam utplurimùm & calores & ardores & febris inſequi ſolent, mox verò ac acrimonia attemperatur, nimiaque tenuitas incraſſatur, idque ex ſola permixtione, tum ſanatur æger, & calor quoque ſpontè ceſſat: octavum à *nocentibus* hauſtum argumentum nullitatem dictarum qualitatum maniféſtè docet, dum momentaneè, humores peccantes eſſe tales ratione ſaporum, v. gr. bilem flavam reſpectu amaritudinis, æruginoſam eſſe anxioſam ex acrimonia non calore &c. experimur; nonum denique dependet â *coctione* & *cruditate*, humores videlicet coquuntur & alterantur per omnigenas ſpecies, à quo ratio criſium dependet, hoc aut calidum, aut frigidum perpeti, id eſt, coqui in æviternum nunquam continget, accedit, quod malè Ariſtotelici ab his 4. qualitatibus putatis elementa ſua deducant, nam & ex aliis qualitatibus deſumi debent, nec & ex *motu* deducere poſſunt hunc elementorum numerum v. gr. terram propter ſummam gravitatem in infimo locando; aquam minus gravem medio; ignem ſummè levem in ſummo ſurſum tendendo, & aerem eminenter levem ad medium locum, nam hi motus corporibus non ſunt magis naturales, quàm quivis alii motus. Plura hîc annectere nobis non eſt, utpote quod plura inferius de genuino qualitates explicandi modo percepturus elementarium qualitatum in arte medica futilitatem uberius cognoſcere poteris.

No. Quartò. Ruentibus ſic elementis eorumque qualitatibus etiam in labili arena ſtant ipſis ſuperſtructi. 4. humores Galenici, uti & econtra ruentibus hiſce etiam ipſa hypotheſis, in qua cæteroquin fundantur, corruat, neceſſe eſt. Hi philoſophi & Medici Naturam ipſam in ſuum obſequium

ſequium cogere tentant, ut quæ revera omni ſimplicitate gaudet, neceſſariò pro eorum mente multiplex eſſe debeat, quaſi verò ad noſtrum lubitum duci poſſet, & deberet, ducta tamen eſt per ſæcula in doctrina de 4. humoribus in genere, ùt ſomniârunt, ſanguinem bile, melancolia, pituita & ſanguine in ſpecie componentibus; Falſam autem eſſe Illam nec hoſce dari docti jam fuimus in Baſ. l. 2. c. 6. §. 13. Hîc ſolùm pro majori elucidatione ſequentia adjungimus, & primò quidem absque controverſia in omnibus ſcholis traditur, ſanguinis unicum rudimentum, nutrimentumque exiſtere ipſum chylum, quis ergo nunc eò temeritatis deveniet, ut humores dictos jam præextitiſſe in chylo dulciſſimo illo nectare aſſerere audeat? aut quis eò dementiæ delabetur, ut nobiſcum ab ipſo matris utero connaſci effutiat? cùm tamen infans plerumque ſaniſſimus ſuaviſſimo & mitiſſimo gaudeat roſeo ſanguinis liquore; quæ igitur inſania eſt, ſtatuere dari etiam diverſas corporis partes analogis ſibi humoribus nutriendas? quis in animantibus cæteris (de quibus altiſſimè ſilent) æquè nutriendis unquam nobis tale quid ſomniavit? quibus ergo humoribus aluntur & vivificantur plantæ? dulcia, lacticinia, amygdalata, gelatinæ &c. (uti etiam poſt dimidiam à talibus aſſumptis horam chylus ex lacteſcente ſanguinis phlebotomiâ emiſſi ſero evidentiſſimè apparet) temperatiſſimum bile & melancholia immunem præbent ſuccum nutritium, partesque omnes æqualiter ſæpe ad ſtuporem reſtaurant, quî ergo evenit, ut partes bilioſæ (bile redintegrandæ) melancholicæ ſuum capeſſant penſum & reſtaurationem, cùm æquali ſibi alimento deſtituantur? ſanè rationem hujus phænomeni nec capio nec capere queo; ſi uſum dictorum humorum à me allegatum denegas, quis ergo alius locum invenit? aut ad quid quartanarius hic humorum alibilium numerus ſtatuminatur? Hinc nec quoque hîc mihi indignaberis, ſodes humoriſta, ſi & probam tuam (quâ eos clarè in ſanguine per V. S. extractô, poſteaquam aliquamdiu in vaſculis quievit, apparere gloriaris, floridamque ejus ſuperficiem ſanguinem inſpecie; infernè atreſcentem melancholiam; mucum ſubinde apparentem pi-

tuitam;

tuitam; ſerumque præſertim flaveſcens bilem, denominare confirmareque anniteris) parvi floccique pendam, felicius enim & promptius diſceret aſinus ſaltare ad lyram quàm ut ego deliramentis hiſce & vanis ſomniis fidem habeam, inducar: fallunt & falluntur ſæpe ſenſus, quemadmodum nec baculus curvus eſt, etſi ſic viſui noſtro in aquis talis compareat, ideò mehercle judicium ſenſuum omnino mancum, ni rationis ſcrutinium id confirmet, cenſendum, an ergo ſolus calor, qui qualitas eſt, dat formam humoribus, eosque in ſuo eſſe & operari conſtituit? heu quàm craſſa hæc eſt philoſophia! ſiccine igitur cortex aurantiorum, limonum, citri, lignum berberum &c. à croco tincta erunt bilis? ubi in ſero reperire eſt ejus decens conſiſtentia, ubi color requiſitus, & ubi amaror unquam deprehenſus in eo? aut quis artifex eò in analyſi eſt progreſſus, ut unquam quempiam nominatorum humorum è mixtis eduxerit? ſic profectò ſanguis (in ſtatu naturali puto) præſertim arterioſus eſſet ſanguis & non eſſet, eſſet, ut ſupponitur, non eſſet, revera enim arterioſus, & is quoque qui ab extremitatibus manuum pedumve emittitur, in planis ſingulariter vaſculis exceptus nil quidpiam dictorum humorum & colorum exhibet, totusque rutilus & floridus eſt; quis, quæſo, tamen hunc ſanguinem verum & laudabiliſſimum eſſe, tametſi ex aliis humoribus non conſtet, denegabit? πολιλογὸς forem, ſi hîc & ea, quæ *Sinapius* parad. Med. p. 1. c. 3. §. 1. 2. & 3. ſatis aptè adducit, nullibique locorum corporis ad hoc ipſis aſſignatum officium generari probat, annecterem, tandemque addit §. 4. etiam falſa eſſe his ſuperinſtructa temperament. 4. collabente enim fundamento etiam ipſas ædes ſuperſtructas corrui neceſſe eſt, aliunde profectò, ut in ſ. 2. planum fiet, temperamenta veniunt deducenda. Ex his & pluribus aliis luce meridiana clarius fit, hypotheſin etiam de 4. humoribus ſanguinem componere putatis, eſſe falſam, adeoque & de Elementis nullam: adjungimus hiſce accuratiſſimum ſcientiarum reſtauratorem & augmentatorem *Franc. Baconem Baronem* de *Verulamio* qui ait: Elementorum commentum, quod avidè à Medicis acceptum, 4. humorum, 4. qualitatum prima-

primarum conjugationes post se traxit, tanquam malignum aliquod & infaustum sydus, infinitam & Medicinæ, nec non compluribus mechanicis rebus sterilitatem afferens.

CAPUT III.

An 3. Principia Cartesiana?

§. I.

SIc devenimus ad ipsa nunc in pluribus scholis adeò florentia principia tertia cartesiana; nempe subtilem ætherem, alterum definitæ figuræ, tertiumque reliquas nempe terrestres, angulares, ad motum minus aptas in scænam producta, ratione quorum doctrinæ hujus assertores novum in Medicina exortum esse sydus, certioremque ægrotantibus (morborum enim apparentias per suas causas sic evidentissimè explicari, ipsos morbos, denudatos & tenebris evolutos magis in apricum duci, remediorum vires & operandi modum ad captum omnium aptè describi, œconomiamque animalem per motum & figuram sic explicari, nil nos admittere, quod non clarè & distinctè vi principiorum mechanicorum percipiamus) hoc modo spondere salutem: *Primum* elementum scilicet subtilem ætherem nec figuram; nec magnitudinem, nec motum definitum possidere, hinc omnibus poris cujuscunque figuræ replendi qualificatum existere, atque ex ejus congerie corpora lucida confieri, authoremque omnis caloris & fermentationis, effervescentiæ & turbationis efformare statuunt: In secundò corpuscula determinatæ figuræ & magnitudinis, quæ sphæræ seu globuli cælestes cælos constituentes explicandæ naturæ luminis & pelluciditatis inserviant, reperiri, hosque globulos motum primi elementi paululum temperando atque alia obvia corpora in motu suo rectilineo sibi cedere cogere asserunt; Tertium denique Elementum constare particulis terrestribus, angularibus, & ad motum minus aptis, harum soboles etiam falsas esse, dicuntque mundum hunc aspectabilem in principio creationis in hæc triplicis generis corpuscula fuisse divisum, &

ex eorum congerie atque olim & nunc omnia fuisse corpora composita, adhuc componi, & in eadem denuò resolvi: Hæc sententia adeò plausibilis in celeberrimorum etiam Medicorum animo suscepta est, ut reverà ab ea vel hilum deflectere etiamnum nefas ducant, atque in omnibus consiliis, discursibus, ac scriptis non nisi subtilis æther &c. intonet; at ignoscant mihi, per Jovem rogo, hujus Patroni, si per totum in doctrina mea ab illis deflectam, eoque autem citius veniam spero, quò promptiùs & dilucidius illius infirmitatem seqq. rationibus demonstravero: quippe primo mehercle eò hæc hypothesis etiam tendit, ut compositionem corporum naturalium in fieri tantùm nostris exponat oculis, quemadmodum Aristotelici de eorum principiis in fieri v. gr. materiâ formâ & privatione discurrunt, qui discursus profectò nostri neutiquam est fori, nec enim penes ægroti (qui unicè sanitatem quærit) lectum, quemadmodum nec de materia prima Aristotelica, de globulis cælestibus, nec de crassioribus, & minus adhuc de subtili & subtilissimo æthere sermo miscendus est: Quale quæso secundò accedit foro medico novum sydus? aut quæ certior promittitur decumbentibus salus? dum mehercle alio longè meliori (ut mox de salibus audiemus) modo morborum phænomena per suas causas explicari, ipsi morbi magis in apricum & duce Divino sene (cujus vestigia meritò premere tenemur) omnia ex saporibus desumente, duci, nec remediorum vis ac activitas ad captum omnium optime describi, nec œconomia animalis sic aptissimè (nam etiam in nostra hypothesi per figuram & motum &c. longè facilius id expeditur) explicari queant; tertiò pura quædam imaginatio de tribus hisce principiis esse videtur, Imaginantur enim primò, omnem mundi materiam initio temporum congestam fuisse in unum acervum, & ubique uniformem fuisse; Imaginantur secundo eam motus portionem seu quantitatem in omnibus hujus acervi partibus à DEO distributam fuisse, quæ nunc ab ipso in tota mundi materia conservatur, ex quibus positis concipiunt necessarium esse, ut prædictæ partes mutua collisione, mutuoque motu se impellentes & repellentes in suis angulis

paulò eminentioribus disrumpantur, unde licet eas minimas esse supponant, has tamen collisione minores semper evasisse usque disruptis omnibus angulis figuram sphæricam acquisiverint ex quibus patere inquiunt, jam simplicissimorum corporum differentias 2. oriri, quorum minutissima corpora, quæ nil aliud sint, quàm pulvis ille exiguus, qui ex angulorum disruptione efformatur, & primum *Elementum* deinceps vocandum esse; alias verò, quæ in rotundum prædicto motu fuerint configuratæ, pro secundò Elemento esse assumendas, & quia impossibile sit, ut omnes partes materiæ ita exactè disruptæ fuerint, ut nullæ crassiores & in suis figuris irregulares manerent, ideò has pro tertio Elemento assumunt. *Sperlette* phys. nov. p. 1. disp. 3. s. 2. p. 101. & seq. confirmant ulterius hanc suam hypothesin utpote vel maximè rationi consentaneam considerando ope microscopiorum in acaro v. gr. dorsum squamis coopertum, sex pedes, nigrasque 2. maculas, quas credunt esse ipsius oculos, detegi, imò dum in eodem acaro utpote vivente & animato ratio cogat, ut particulas sensibus nostris & imaginationi ipsi impervias admittamus, quales sunt pedum articuli, nervi, venæ, arteriæ, cor, caput, cerebrum, sanguis, spiritus animales, imò & infinitæ partes variæ ex quibus hæc omnia componuntur: Ex dictis inferunt, etiamsi suprà dicto modo illum materiæ acervum fictum, & imaginarium esse credant, non tamen ideo irrationabiliter eundem supponi, certum enim esse, res omnes in eo statu conservari, quem necessario acquisivissent, si primam earum dispositionem ex solis naturæ legibus (mechanicis) quas etiam nunc DEUS inviolabiliter observat, habuissent; evidens autem esse, præsentem illarum statum non potuisse à nobis clarius cognosci vel certius, quàm ex hac elementorum congerie & statu, quem virtute prædictârum legum obtinuerint, imò debuerint ab initio mundi obtinere; Hæc sunt principaliora Cartesianorum assertorum fundamenta, quibus suam suppositam hypothesin stabilire & cum suo æthere ad æthera extollere conantur: de hac Imaginatione, utpote quod magis physicam respicere (dum tantùm de compositione corporum possibili loqui-

tur) videatur, nil desuper, utpote purè de rebus ad medicinam spectantibus agentes addimus; si verò tertiò desuper ipsi urgeant Cartesiani nimium vel maximè hæc 3. elementa phænomena tam naturalia, quàm præternaturalia explicare, primum enim Elementum, ætherem seu materiam mundi subtilissimam non tam ipsius caloris, quàm omnis fermentationis effervescentiæ & turbationis authorem esse & pro tali haberi debere, statuente sic *Waldschmidio* Inst. Med. l. 1. c. 2. §. 1. tum Respondeo, quare ergo mox §. 8. ipsemet de salibus, acido & alkali asserit, ex horum combinatione variam oriri sanguinis temperiem, ac intemperiem? consequenter calorem, vel frigus, vel fermentationes, effervescentias, & turbationes; nam reverà pro istarum diversitate etiam diversa & multiplex est temperies: adhoc cùm Illi salia particulas tertii Elementi esse (ut ibidem è §. 6.) statuant, sic pariter partes terrestres calorem & fermentationes &c. producere deberent, à salibus enim temperies &c. exurgit, quod tamen juxta ipsos nequaquam admittitur. Deinde si subtilissimus ille æther calorem, fermentationes &c. producit, quô, quæso, modò, quaveratione id evenit? si enim in se spectatur, est quædam ad summum subtilitatis apicem evecta materia, id est subtilissima, cur non semper æqualiter ubicunque tandem sit, operatur? cur potissimum si alkali & & acidum combinantur, forte regeris, abesse ad has actiones ipsas dispositiones debitas, tunc respondeo, nec necesse esse, si enim ipse æther author est, nec aliud quidpiam requiritur, insuper cur in fermentationibus, rarefactionibus, effervescentiis &c. materia fermentans &c. majus occupat spatium, dum nec æther subtilissimus ultra subtiliari aut expandi, nec materia ipsa ita extendi, ut majorem obtineat locum, quàm antea habuit, nequeant; Planè mysterium hoc non attingo, nonne longè sanius ipsorū acidi & alkali luctæ & exinde exortæ aëris in poris contenti dilatationi ac expansioni adscribitur? certissimum enim esse, teneo, absque præsentia dictorum salium, mutuaque eorum reactione (ut patet in musto) nec fermentationem, nec quidpiam hujus simile in rerum natura, & quidem sine omni subilis ætheris adminiculo,

econtra

econtra autem benè concurrente aut insequente aëris dilatatione contingere, ex quo evidentissimè concludere licèt, eundem ætherem nullatenus similium actionum nec caloris aut fermentationis motorem esse posse, præsertim cùm ex propria confessione motum in se (saltem determinatum) non possideat, sed solùm replendis poris sit destinatus, ac in se expandi non queat. Quod reliqua 2. elementa concernit, profectò quem usum in medicis obtineant, lyncæis etiam oculis comprehendi non potest, præsertim quoad alterum, cùm omnia corpora non nisi juxta determinatam magnitudinem, figuram &c. operantur, atque sic quomodo nomen principiorum medicorum mereantur, quis est, qui assequitur? concludo totum verbis synopseos Inst. Med. *Ettmüll.* p. 4. n. 19. -- ubi dicitur: ejus (Cartesii) 3. elementa sunt suavis speculatio, ingeniique lusus, ab initio plausibilis quidem, sed qui in Medicina nullum habet usum; videatur *Tattinghoff.* Clav. Phil. Cartes. novus, rarus, ac perspicuus liber.

Descendimus nunc ad ipsa adeò decantata *Principia chymica*, tria nempe activa, sal, sulphur & mercurium, duoque passiva, aquam & terram damnatam seu caput mortuum; Hæc nimirum, tametsi à Galenicis immeritò excipiantur cachinnô, plurimùm tamen in foro medico nanciscuntur usum, longeque potiùs, quàm supra Elementa enarrata jus ad principiorum, scilicet secundariorum, ut semper talia intelligi volumus, munus obtinent; ast nec dum mihi satisfacere videntur, non enim æque planè rem enodant, quippe incertum adhuc omnino est, quid proprie sub nomine mercurii veniat intelligendum, nec enim talis, ut à quibusdam creditur, in omnibus reperire est corporibus, scilicet currens, nec etiam satis hi chymistæ, quid in plantis, aut animalibus, aut mineralibus salinis &c. ejus vicem sustineat, se explicant; si sal volatile, ergo ad classem salium pertinet, si *Beguino* Tyr. chym. l. 1. c. 2. censente, ad humidum, rarum, spirituosum fumabile, pariter ex infra dicendis, per quid aliud longè meliùs explicari possit, comparebit, verbô, confusum chaos esse nomen mercurii, potiusque de metallis (quorum mercurium tamen saltem aliquorum non ens esse multi sunt, qui

ſtatuunt) intelligi, aut avicula illa *Hermetis*, qua ſal per artem ſed inaniter aucupari intendunt; unicè mihi perſuaſum habeo; Inſuper nec ſufficit generale illud ſalis nomen, cùm, an ſalſum enixum, an alcali, an acidum ſit, nullatenus ſic compertum habeatur? deinde etiam ipſi horum principiorum aſſertores inter ſe ſunt toti quanti confuſi; nec hic, quid ſæpius alter ſubinnuat, percipit, ut exin potiùs confuſos opinionum nodos, quàm ſolidam ſententiam & hypotheſin ex hac doctrina haurire liceat.

§. II. Multò minùs adhuc mihi hucusque inaudita in ſynopſi tamen *Inſt. Med. Ettmüll. phyſiol.* c. 1. n. 42. aſtricta opinio, particulas tales immediatè corpora componentes, & in quas eadem etiam immediatè reſolvuntur, pro explicandis corporum phænomenis commodè ſub ternario numero, nempe ſalinoacidorum, terreorum, & aqueorum comprehendi poſſe mihi arridere poterit, nimis enim generaliter τὸ *ſalinum*, ut mox patebit, ſumitur, & potiùs ſalſum ac enixum, quod ex prioribus illis ſalibus, alcali & acido velut compoſitum eſt, denotat; deinde excludit ſulphureum principium, eò quòd nunquam in tota natura reperiatur ſulphureum, cui non ex parte adjunctum ſit acidum ſuum; At eſto, ſi enim tantùm ex parte acidum aliquod admiſtum eſt, ergò quoque ipſum datur ſulphur & ſulphureum principium; deinde aliud eſt eſſe acidum purum, ut in ſpiritu vitrioli &c. aliud eſt eſſe acidum commixtum cum parte ſulphurea ſcilicet inflammabili &c. deinde falſa omnino eſt hæc argumentatio, nullum datur ſulphureum, ubi non eſt acidum, ergo etiam nullum datur acidum ſine ſulphure, contrarium enim docemur tota die in acidis fixis v. gr. ſpiritu vitrioli &c. inſuper nos neutiquam oleum v. gr. aliquod Empyreumaticum ſive bilis ſive tartar. &c. pro vero principio aſtruimus, oſtendimus enim dundaxat, ineſſe illi tale quoddam principium, quod eſt inflammabile, diſtinctum ab aliis principiis, quippe & ego fateor, difficile admodum eſſe, concreta in talia elementa ultimatò reſolvere, concertat enim ipſe ſolers *Kunchhelius*, etiam nullum ſal quousque viſibile eſt, absque omni terra exiſtere; quod olea Empyreumatica (acido præ aliis manifeſtiori

ſtiori gaudentia) deſtillatione ab alcalinis abſtrahendo, nonne hæc ſummè depurantur, & ſic abſorptô ab alcalinis acidô blanda evadunt? adeoque reverà, ſulphur ex claſſe principiorum excludendum fore, non video; Quare nec hæc hypotheſis ſtabilem figere poteſt pedem. Aliter igitur rem exponere, atque ad mentem ipſius divini noſtri *Hypocratis* deducere ſtudebimus, ut qui facultates agendi unicè à ſaporibus, quemadmodum infra clarè patefiet, deduxit; ſapores autem (cùm à ſalibus, eorumque variâ diſpoſitione, expanſione, inviſcatione, inhamatione &c. proveniant,) ſe ſe oculis noſtris ita nudos, quin non aliquod terreſtre, aut aqueum immiſceatur, aut quin non ſubinde unctuoſitas quædam penes reperiatur, non ſiſtant, Igitur

CAPUT IV.

De 5. Minutiis.

§. I.

DIcimus, quorumlibet corporum naturalium mixtorum principia ſupra enarratas principii ſeu elementi proprietates & conditiones obtinentia juxta Baſin n. l. 1. c. 2. §. 3. eſſe neceſſario 5, nempe alcalina, acida, ſulphurea, terrea, & aquea, quorum tria priora ſi activa, & poſteriora 2. paſſiva nominare placet, per me licet, & ſic impræſentiarum hypotheſin noſtram ſuper hæc fundare intendimus. Hoc (illa ipſa nempe verô principiorum præſertim in Medicina unicè obſervandorum munere fungi) ut evincamus, de quolibet in ſpecie ſeorſim agere, ejusque naturam exponere oportet, quâ in materia, utpote hucusque minus clarè ab authoribus expoſitâ, paulò fuſius tractare fas ſit, quò ſic (maximam enim adhuc ſalium ignorantiam & apud practicos & apud ſcholares per 30. & ultra annos, quibus praxi me applicavi, potiùs doctrinam Medicam eximiè obtenebrantem & involventem, quàm illuſtrantem deprehendere licuit) veritas magis inclareſcat, majorque ſic Reipub. Aſclepiadeæ lux affulgeat; ſit autem primò de ſalibus.

§. II.

§. II. Vulgatum assertum est, in sole & sale matura seu naturæ esse omnia, imò nullum existere concretum, quod non sale tanquam infallibili principio constet, adeò veritati consonum est, ut id non nisi insulsus & fatuus neget, si enim sal deesset, in quo tale, etiam docente sacro codice, condiretur? comprobatur itidem apprimè ipsa Divini *Coi* authoritate, utqui susque deque habito calidô, frigidô, humidô, siccô, *lib. de veteri Med. libroque de hominis natura* &c. his singularem agendi potestatem dénegat, & econtra ipsis saporibus, salium prolibus, attribuit, veluti in seq. maximè f. 3. in procemio c. 1. plura edoceberis, insuperquè addit, doctrinam hanc de salibus jam à primis artis Inventoribus acceptam fuisse, adeoque pervetusta est hæc scientia, & hypothesis, ac quamvis per plura in scholis sæcula 4. qualitates 4. elementis superstructæ (quas *Aristoteles* 100 & aliquot annis post *Coum* vivens ex *Ocello Lucano* excerptas velut suas proposuit, & pro posse antiquiores se Philosophos oppressit, utpote qui juxta *Verulamium* de Augm. scient. lib. 3. p. 228. more Ottomannorum regnare se tutò haud posse *putaret, nisi fratres suos contrucidâsset*) viguerint, attamen ipsa de salibus (*non enim calidum, humidum &c. sed acerbum, amarum &c. potens est*) doctrina longè ante elementarem ac qualitativam hypothesin floruit, & ex seqq. firmissimis adversarios confundentibus & convincentibus *rationibus* florebit: *primò* enim ignis hominem non urit, quia calidissimus, sed quia spicula concreti dissoluti acutissima, membris infigit, quæ sensatio & calor, & pro re nata ustio dicitur; deinde nec aqua refrigerat tanquam frigidissima, sed quia corpori applicata motum particularum & fluidorum (in quo vita) necessarium cohibet, B. nos. l. 1. 2. §. 6. Secundò herba v. gr. absynthii nos subindè eximiè alterat, non quatenus existimatur calida, sed quatenus amara, salsa, & oleosa, quæ motum contentis conciliandô, effectum talem edit; Tertio contraria contrariis curari dicuntur, Erysipelas tamen & gangræna affectus calidissimi per Spir. vini camphoratum calidissimum omnium securissimè tolluntur, quod per qualitates nunquam, semper tamen per spicula salina stagnantes humores resolventia

ventia, & incidentia ac tubulos infarctos reserantia explicari apertissimè potest; quartò spiritus contrà urinosos in paroxysmis hemitritæicis etiam ad drachmas duas cum syr. v. gr. papar. errat. unciis duabus exhibitos optimè æstus & invasiones febriles compescuisse ipse repetitis vicibus observavi, sanè non ratione qualitatum elementarium, sed particularum alcalinarum volatilium spicula morbifica acida oleosa infringentium; verbô (millena alia siccô prætereo pede) ut omnia ex sale constant; ita & cuncta fere ex salibus sunt activa, & operativa; sed ad rem.

§ III. Unde *salis* deriverur *nomen*, suspensos hîc tenent calamos & ora scriptores, credibile est à fluctuante mari, quod est salsum, promanare, nam græcum ἅλς denotat & mare & sal nec quoque à vero abludit, desumi scilicet ἅλς ab ἅλλομαι, quod salto aut salio innuit, nimirum insinuando utrumque denotare & mare perpetuò quasi saliens, & sal igni aut carbonibus ignitis injectum crepans & subsaltans, inde & Germani nomen suum analogizans Saltz desumpsere: *Est* autem propriè *sal* juxta *Bas.* m. l. 1. c. 2. §. 4. *substantia plus, minus compacta, rigida, vel porosa, aculeis pungentibus, nec non* aliquandò lateribus *incidentibus* donata, sapida, *in liquoribus aqueis promptè* solubilis &c: Definitio seu descriptio generica est, omnibusque convenit salibus cujuscunque tandem speciei sint, saltem quæ in Medicina usum habent; *substantia* est genus, additur λ) *plus minus compacta, rigida*, vel, *porosa* &c. partim ut distinguantur & ab aliis corporibus, partimque, ut etiam inter se differre intimaremus; λ) *sapida* attributum ejus est essentiale, sicut homini risibilitas. Interim monere adhuc volui, quod (etsi sal in se spectatum, quatenus nimirum consideratur abstractè, non ut est in sale esculento, marino &c. simplicissimæ sit naturæ) vel rarissimè imò nunquam purum (ut & de 4. Peripateticis elementis idem verificatur) nostris subjiciatur oculis, sed usque dum probante hoc dilucidè sagacissimo *Kunckelio* cum terræ portione permixtum sistatur.

No. I. Ex modò allegata salium descriptione haud difficulter, varias dari eorundem differentias, conjicere licet;

cet; meâ autem opinione considteratu digniores suut seq. nempe primo salia sunt vel *nativa* vel *artificialia*; Illa facilè cuipiam patent, & absque artis ope existunt vel *aquis immersa*, exemplo maris & fontium salsuginorum &c. seu effodiunturr è terræ cryptis, velut sal gemmæ, fossile &c. seu è *petris*, *cellisque* ac *muris recentibus* effloresccunt, more nitri &c. *hæcque* sunt rursus vel *absolutè talia*, quale est alumen, sal gemmæ, vel secundum *quid* videlicet obstetricante Naturæ arte, quale systema nobis nitrum sistit, quod an genuinum minerale dici queat, aliis prudentioribus decidendum lubens relinquo: *Artificialia* quod attinet, hæc vel *propulsione per retortam* (unde & sal succini, cornu cervi volatile & spiritus acidi proveniunt) vel *putrefactione* & *digestione* (ex quibus ibi spiritus urinæ, hic salia volatilia ex oleis & secretiora alia confiunt) vel denique *incineratione*, *elixiviatione*, & *crystallisatione* (unde salia alcalia seu urinosa fixa emanant, vel ultimatò *sublimatione* (unde flores salis armoniaci, mercurius sublimatus &c. emergunt) parantur: utrâque tam nativa, quàm artificialia penes sunt vel *explicita* & quidem potissimum, & manifesta, ut in sale, nitro &c. aut *implicita* seu *occulta*, fere tantùm arte inducenda & cognoscenda: & hæc est summè generica salium distributio, cui reliquæ species omnes velut summo generi subsunt, de quibus modò. *Secundò* salia sunt vel *simplicia* eaque vel *exquisitè*, reverà & sensu rigoroso *talia*, qualia verò nobis, ut superius memoravimus, non exhibentur, hinc sufficit ad phænomena explicanda esse *simplicia secundum quid*, & à potiori, vel sunt *composita* ex jam dictis simplicibus constantia, qualia sunt omnia *enixa*. *Ratione consistentiæ*, vel gaudent jam enarrata salia *corporaturâ solidâ*, & *genuinô salium titulô* veniunt, ut est sal esculentum, gemmæ &c. vel *sub vehiculo alieno fluida* & liquida asservantur, & fere spirituum aut aquarum *causticarum* nomine insigniuntur, nilque aliud propriè sunt, quàm liquores vel salibus urinosis volatilibus aut acidis imprægnati; Rursus respectu *qualitatum tactilium* aliud est mollius, & *durius* aliud; *colorum* ratione aliud *album* purissimum, hoc *nigrum*; *flavum*

aliud;

aliud; *Dioſcoride* teſté *l.* 5. *c.* 88. lacubus quibusdam crocei coloris innatat; Niloque defluit; *Rubrum* in confinibus *Angottæ* & *Tigræ* ad Medicinam utiliſſimum reperiri, itemque dari *fuſcum*, *viride* (fortè æs) *cinericium* &c. perhibetur: Tandem ex *ſaporibus* aliud eſt ſalſum, lixiviale, urinoſum nitroſum &c.

No. II. *Subdividimus* rurſum ſalia primò in *alcalia*, ſecundò *acida* & tertiò in *Enixa*: hæc diviſio maximæ cùm ſit utilitatis, neceſſitatis & conſiderationis in Medicina, tum quoad craſes rerum, tum corporum ſtatum naturalem & morboſum, temperatum videlicet & intemperatum *Hypoc*: cognoſcenda, ideo denuo etiam uberius de hiſce verba faciemus; ſit ergo ſermo de alcalibus, alcalia vocantur, & alio nomine, velut urinæ odorem & ſaporem referentia, urinoſa & *lixivialia*, quoniam inſtar lixivii vel ex lixivio extrahuntur, & ſic hæc tria vocabula ſunt quaſi ſynonima: *alcali* autem videtur appellari ab Ægyptiaca herba *kali* juxta ſalſum flumen Nilum ſapore ſalſo creſcente, quæ concremata copioſum præbuit ſal fixum, quod appellavere *kali*, & præpoſitô Arabicô articulô, *al*, ortum eſt nomen *alcali*: Ab eo tempore appellata ſunt taliter parata ſalia, alcalia; ſucceſſivè, autem cùm obſervatum ſit, etiam volatilia, quemadmodum alcalia fixa acidis contrariari, etiam illis nomen alcali eſt attributum. Herbam hanc ſpeciem ſedi eſſe, atque etiam apud *Seburgum* reperiri refert, *Ettmüll.* ſal hoc alcali *deſcribi* poteſt, quòd ſit *ſubſtantia ſapida minùs compacta* & *poroſa ſatis*, *hinc in humido ſpontè liqueſcens*, *etiam aculeis donata*, *ac cum acido contrario* (ſi ſui juris ſunt) efferveſcens, *ſyrupumque violarum cæruleò tingens colore*, *virtutis ſaponariæ abſterſivæ &c.* In hac, quantum exiſtimo, deſcriptione tota ſalis hujus alcalici exhauritur natura, nec, cùm nulla alia apud authores extet, meliorem dari poſſe cenſeo; Genus eſt, *ſubſtantia ſapida*, ſic & cum aliis convenit ſalibus; per λὶ *minus compacta* & *poroſa* diſtinquitur ab enixis &c. τὸ *aculeis* deſignat virtutem ſuam activam, efferveſcit cum acido, ſed fere abſente ſulphure &c. & ſic ab illo differt.

No. III. In ſuper *duplicia* ſunt v. gr. *volatilia* & fixa, *volatilia* illa appellantur talia primò reſpectu fixorum, ſecundò quia facilè ob poroſitatem præſertim aëre & calore accedente avolant, tum etiam tertiò quòd nares noſtras promptè feriant: copioſiſſimè extant in homine, ejusque partibus animalibus, cervo, cantharidibus, formicis, lumbricis, viperis & ſerpentibus, illòrum & ungulis, cornubus &c. præſertim iis luxuriant fella & urinæ &c. ex *vegetabilibus*, his ſuperbiunt *plantæ antiſcorbuticæ*, cochlearia, arum, omne naſturtium, ſinapi, eruca, ruſticanus raphanus, ſedum minus & plures aliæ &c. in quibus adeò verè hoc ſal volatile exiſtit, ut etiam, levem coctionem non ferant, imò quidam hâc rejectâ (quod tantum caput mortuum relinquat) vel levem infuſionem præfatarum inſtituunt, aut ſuccos ipſos duntaxat expreſſos in uſum trahant medicum: accedunt & herbæ *cephalicæ* &c. v. gr. majorana, roſmarinus, ſalvia, rutha, meliſſa, ſpica & plures aliæ, in quibus omnibus & odore & ſapore acri, ſubtili, & penetranti ſal volatile, ſimplicis ſui totam craſin quaſi continens, detegitur; hoc autem notes velim, quòd vegetabilia non nulla ſal ſuum volatile magis in ſeminibus, ùt ſiligo, aniſum &c. quædam in herba, ùt naſturtium, ranunculus &c. alia in radice v. gr. arum contineant: inſuper *ſalia* etiam iſta varia ſunt non tam ratione, *exiſtentiæ*, ubi unum eſt *manifeſtum* in cochlearia &c. alterum *latens* v. gr. in cornubus, ungulis, cute, pilis &c. animalium ſive cervi ſive alterius &c. quàm etiam reſpectu *colorum*, nam cornu cervi, ſalis armoniaci &c. magis candet, quàm ſuccini, iſtud enim adhuc dum aliquid de acido oleoſo (hinc cum ſpiritu volatili cornu cervi leniùs adhùc efferveſcit, & in liquorem cornu cervi ſuccinatum diſtillando in cruditatibus omnium nobiliſſimum, præeunte ſic *Michaele Lipſienſi* abit, participat; ac denique *ſaporum*, nam *aliud* linguam ſubtilius & amicabilius gratiusque aliud acrius & ingrâtius ùt in cœpis, alliis ferit, *aliud* quaſi *cauſticum* eſt, ùt cantharidum, quò etiam non immeritò mercurius ſublimatus & arſenicum trahi poteſt.

No. IV. *Salia volatilia* parantur, acquirunturque *triplici* potissimum modô, digestione, propulsione, & fermentatione: digestione (quæ maximi in Medicina momenti censeri debet) paravit *Helmont.* sal volatile cinamomi, dum hujus oleum suo sali alcali absque omni permiscuit aquâ, & trium mensium artificiosâ (hîc Rhodus, hîc saltus est) ac occultâ circulatione totum in sal volatile convertit, quod verè essentiam totius sui simplicis expressit; ex hoc ipso fonte ipse sapo tartareus (sapienti pauca) extillavit; hinc revera res etiam cùm alio vilioris pretii oleo (olea enim destillata nîl nisi sal volatile parte sulphureâ adhuc absconditâ sunt) v. gr. citri, anisi &c. & tantùm sale tartari fixô purissimô institui potest: non minori cum fructu: sic multi pro secreto sal volatile tartari ex oleo ex sale proprio tali diggestione parandi modum retinent sibi, sed satis est, qui vult capere, capiat. Secundò obtinetur *propulsione* & quidem *dupliciter*, vel per retortam fortiori igne (unde & bilis, uti in nostris de bile ostendimus thesibus, & succinum & cornu cervi &c. suum suppeditant sal volatile) vel per sublimationem, hancquè rursus *duplici ratione*, vel *per se*, ut in sale volatili viperarum &c. vel cum *additamento* v. gr. dum sali armaniaco additur sal tartari, calx viva, vel cineres clavellati aut sarmentorum vitis &c. & sic sublimatio copiosissimum sal volatile præbens instituitur, sal armoniacum enim ab acido adhuc quoad partes volatiles urinosas ligatum est, quæ duntaxat acidâ per dicta addita alcalia sui juris facta iterum in apricum veniunt. Tertius denique modus fit *fermentatione* (cui meritò quidam putrefactionem associant) ratione vegetabilium fere optimus, de qua in chymiatria in scholis tractavimus: Hîc solummodò memorare voluimus, plantas esse contundendas, digerendas, & justo tempore sal volatile colligendum, sic pariter urina fermentatione diuturniore copiosum sistit sal volatile. Figuram habent acutam valde & subtilem salia volatilia, puta explicita magis quàm implicita, utpote tardius suam vim exerentia, unde præ omnibus aliis penetrantiora censenda, atque in corpus assumpta omnium celerimè visceribus laborantibus suppeti-

petias, ferunt, & vel è stomacho nondum egressa in sanguineam massam reliquosque humores suos fere vibrant effectus: Porosa cæteroquin valde sunt, & quidem etiam præ fixis alcalibus, quippe aerem faciliùs admittendo promptiùs resolvuntur, & avolant, spiritibus, tamen, oleis, & aquæ facillimè parent, eisque se amicè (quod non præstant fixa) associant, unde & chymicis sub mercurii nomine veniunt, imò nullus alius tam in vegetabili, quàm animali regno datur præter salia volatilia mercurius, hic enim est horologii nostri inquies, & æquipondium, hunc ex omni sanguine producere est facillimum.

No. V. Sequuntur & alcalia fixa (quod in Ignis examine subsistant) ejusque vim immota sustineant nuncupata, ut sunt omnia per incinerationem & calcinationem parata salia, horumque fixitas in fortissima terrearum cum salinis partibus per colliquationem ab igne facta unione consistit, & hinc fere formam suam ab igne adipiscuntur: *Alia* sunt absolutè talia, ut modò adducta per incinerationem &c. elicita alcalia, alia secundùm quid talia v. gr. sal armoniacum crudum, dum ejus volatile ab acido ligatum quasi figitur. Quemadmodum in animali regno præprimis sal volatile abundare asseruimus, sic salium fixorum copiam magis subministrat regnum vegetabile, utpote quod subjecta præbeat tenerioris mixturæ & facilioris separationis (dum instituitur incineratio) sulphuris à sale, contrarium quasi evenit in animalibus, nam hìc sulphur etiam vel in auras aufugit, vel cum sale volatili, rarissimè tamen, se se combinat. In metallis sal sulphuri subjugatum est, ideò (si vitriolum excipias) nullum eorum extat; ex vegetabilibus autem una planta præ alia copiosius sal fundit fixum; Inde hæc notato, quod in omnibus herbis, in quibus sapor acris volatilis (nempe in his salia sunt magis libera & eminentia) velut in antiscorbuticis se prodit, ex his plus salis volatilis, parum fixi provenit, item quæ sale volatili (ùt animalia) abundant, minus habent de fixo: econtra quæ salinum & terreum principium sapore amaricante magis præseferunt, copiosiùs fundunt sal alcali fixum, ut sunt centaurium minus, absynthium

thium & vice versa etiam aquea, terrea, minusque sapida, ut hyosciamus, malva, lactuca &c. magis sunt inertia, ac sal terreum minus deliquabile largiuntur; Item ad rationem ponderis attendum est, graviora enim compactiora, & præsertim etiam acidula præ lævioribus vel resinosis sal exhibent, exemplo ligni fraxini, straminis; ast multum olei continent, parcius sal fixum sistunt, ut videre est in ligno aloës, succino &c. quæ verò terreis tenaculis præpollentibus oleum magis detinent, ut tartarus, bilis &c. oleum & sal copiosum suppedidant: unde est, quòd lignum putridum ablato sulphure, deficienteque aquâ, simulque cum hac deliquescente parte salinâ tanquam cadaver, nullum vel exiguum sal subministret.

No. VI. *Salia* nostra fixa alcalia, non esse tam nativa, ut sunt volatilia urinosa, aut acida in regno minerali, sed potius artificialia (cùm ab ignis regimine & colliquatione, acidique in planta v. gr. & alcalici urinosi unione, in quibus horum generatio consistit, confiant) esse, multi contendunt; ast revera jam etiam prius insuisse ex ipsô generationis modô docemur; videlicet, sal hoc ex hac vel illa debitè incinerata planta nonnisi destructo sulphure velut mixtorum calidô innatô, & ligamine, abactôque acidô in apricum venit, hinc & ipsi jam cineres salinum repræsentant saporem; insuper unicè sali suo debent, quòd virtutem medicamenti diuretici in hydrope induant; avolare autem sulphur ac ipsum acidum vehementiori igne dissipari, habemus non tam ex concretorum inflammabilitate, quàm ex instituta horum per retortam urgentiori igne destillatione, ubi notanter spiritus acidulus, v. gr. ligni quercini, buxi &c. provenit, hinc utique oritur quod ignis à non paucis acidus sit creditus, utpote effectum acidorum tam in charta cærulea, quam syrupo violarum exprimens, colore scilicet purpureo inficiens, ut tibi etiam centies probanti manifestabitur, quod me herclè non ipsi igni, sed ipsis particulis acidis sibi implicatis in acceptis ferendum est. Inde in carbonum præparatione, ubi fere sulphur duntaxat (quod ex fœtore innotescit) maxima ex parte aufugit, acidumque tantum suffoca-

focatur, carbones dein adhuc ſunt ignis ſuſceptivi, ejusque vis operativi, mox verò ac deflagrant toti, nil horum amplius præſtant, adeoquè ſal fixum neutiquam eſt purum artificiale, ſed etiam nativum, tametſi per artem evocetur. *Salia noſtra* utraque quamvis in multis, ut ſuprâ tetigimus, conveniant, attamen ab invicem ſatis, non tamen eſſentialiter, ſed *tantùm* accidentaliter differunt, & quidem primò ſapore, nam veluti volatilium eſt urinoſus, ſic fixorum lixivioſus; ſecundò odore, quippe hæc inodora, altera verò mox ac naribus appropinquant, jam jam lacrymas eliciunt, ſie treiben die Augen über; tertiò poris, nam à fixis, quæ ignem non timent, fugantur volatilia, quartò volatilia & ſpiritibus & oleis expreſſis ac deſtillatis ac pinguedinibus amicabili nexu facilè maritantur, fixa verò copulæ cum his ineundæ ſunt impatientia, niſi in ſapone, ubi tum alcali urinæ ſale & calce viva non tamen ſine artificio, accedit; quintò fixa in humido ſine ſubſtantiæ deperditione in liquorem fatiſcunt, & per ſe deſtillari nequeunt, ſalia econtra volatilia omnis ſuffuratur aër, & leviſſimo calore alembicum tranſcendunt; ſextò denique & hoc obſervatione dignum eſt, ſi ſalia alcalia v. gr. tartari ſeu oleum per deliquium ſolutioni mercurii ſublimati genuini inſtilletur, color aurantiùs, & contra ſi ſpiritus urinæ aut alcali volatile additur, lacteus emergat, & ſic quis, an in liquore quodam allato ſal volatile vel fixum inſit, deprehendere noſcet.

No. VII. Alterum hîc dubium movendum reſtat, ipſa ne ſalia lixivioſa fixa inter ſe diſcrepent, alienamque à ſe invicem ſortiantur virtutem? quam controverſiam expertus paucis decido, dicoquè eſſentialiter nullatenus, accidentaliter tamen differre poſſe, quippe ſi ritè in præparatione proceditur, cùm cauſa ſit eadem, idem quoque erit effectus, præſertim cùm omnis vis Plantæ ſpecifica dicta per ignem pereat, adeoque nec effectu nec formâ in genere diſcrepant; poteſt tamen unum aliô eſſe fixius, terreſtrius, acrius, magis corroſivum &c. ſed & hoc ab arte dependere videtur. Præparantur unicâ viâ ſcilicet *incineratione*, & calcinatione, quam inſequitur *elixiviatio*, *evaporatio*, & cryſtalliſatio.

Quod

Quod incinerationem concernit, hæc instituitur dupliciter vel vase & igne aperto, sive dein id fiat sub dio, sive, ut multi assolent, in fornace; vel secundò clauso vase & loco, quô modô quidam, ut copiosiora adipiscantur salia, utuntur, quâcunque tandem viâ procedas, semper attende, ut totum ritè deflagret concretum, quo sic cineres albi vel grysei (NB. sine sulphuris additione, cum hoc enim salia alcalia adulterantur) eveniant: nonnulli desuper post deflagrationem ad cupellam terream ponunt, ignemque successivum supponunt, ut ita cineres puriores fiant, magisque perficiantur. His debitè peractis affundenda est cineribus aqua calida, aut etiam, si placet, cum hac decoqui possunt, ut felicius sal (quod se promptissimè aquæ poris insinuat) extrahatur, qui labor elixiviatio nuncupatur, elixiviatum quod est, per filtrum laneum purum (nam omnia debent esse munda) trajiciendum; si elixiviatum caput jam quasi mortuum more aliorum, sed inani plerumque labore rursus calcinare placet, lixiviumque novum, ut sic omne exhauriatur sal, tibi comparare, per me licet: filtratum postea inditur vasi semisphærico vitreo in arena posito (Abrauch-Schaalen) evaporatioque instituitur, ubi nota, satis aquei humoris evaporâsse, & crystallisationem perfectam esse successuram, si in superfitie pellicula appareat, & tum ignem subtùs removendum, atque liquorem, ut refrigescat in loco frigido, sibi relinquendum esse, unde tandem *crystallisatio* per se subsequitur, nempe crystalli albicantes visu gratiosi hinc inde se conspiciundos sistunt, istud tamen hoc in loco probè annotandum, ut tum & in sicco & calido asserves loco, etiamsi enim juxta artem procedendo has nanciscaris crystallos, attamen porosiores cùm sint, facilè asservando eæ in humido liquescunt, & sic denuò crystalliformem consistentiam deperdunt, hinc evenit, ut nonnulli firmiorem conciliaturi soliditatem, aut in calcinatione cinerum tertiam vel quartam sulphuris communis, aut etiam anaticam partem addant, aut lixivio, prius quam hoc ad evaporationem & crystallisationem seponitur, spiritum salis acidum, aut ipsam aquam fortem in majori vel minore quantitate, prout majorem vel minorem firmita-

tem salium intendunt, affundant, & sic cryſtallos elegantiores solidiores & in humido etiam aere perſeverantes acqirunt, qui modus tamen ipſis alcalibus totus contrariatur, addito enim & communicato ſic acido ſeu ſulphuris ſeu alio illa ſaturantur, & in corpus ſalinum neutrum, enixum tartaro vitriolato non abſimile abeunt, & nec ad hilum indicationes alcalium adimplent. Nonnulli cineritiis ſuis ſalibus adjungunt alia & ſucculenta & eſſentialia appellata, ſuntque illa, quæ vel ex plantarum ſuccis clarificatis, & ad mediam partem exhalatis, vel plantis copioſâ aquâ coctis ſimili modo procedendo parantur; nempe ſuccus vel decoctum ita confectum in locum frigidum ſeponitur, & ſic cryſtalli tartari formes, emergunt, quas etiam *Schröderus* volatiles & nobiliſſimas ait, imò *Mynſicht* ſtatuit, præ alcalibus tantam habere prærogativam, ut grana 3. plùs efficiant, quàm integer alcalium fixorum ſcrupulus; at ſi rem exactius ſcrutemur, præfectò hæc ſalia (potius herbarum tartarus) minus huc trahi poſſe deprehendemus, utpote quòd omnibus 5. minutiis in examine ignis per retortam eliciendis conſtent, & conſequenter compoſita ſint, & ſi omnino ſalia nominanda forent, potiùs jus ad acidorum claſſem tenerent; deinde quamvis partes contineant volatiles, adeò tamen acidò ligatæ ſunt, ut nonniſi fortiori igne propellantur, nec tamen per ſe ſalis volatilis nomen merentur.

No. VIII. Sequitur ipſius alcali unicus antagoniſta *acidum* nempe velut ſal primogenitum & reliquorum fundamentum: definiri poteſt, quòd ſit *ſal illud, quod particulis tetrahedricis* (id eſt cuſpide rigidô, tereti & auctô præditis, corporeque poſthac cunei inſtar majorem in molem aucto) *conſtat, adeò ut quovis modo tactum*, vel *guſtui applicatum ſenſorium* ipſum pungat, & comprimendo nonnihil conſtringat, ac propterea foveas & inciſiones ampliores, quam *quodvis aliud ſapidum in ipſo relinquat, ſicque ingratiorem ſenſum in anima* excitet, atque, *ſi magè* tale, *etiam diſſolutionem* in ſolidis & coagulationam &c. in liquidis efficiat &c. ſapor hic docente *Williſio* à ſale fixo in fluorem evectô dependet, hujusque activitas & vis plurimùm ab oleoſis & pinguibus

(ſpi-

ſpicula ſcilicet ejus inviſcantibus ac infringentibus) enervatatur, hinc Nebulones Agyrtæ venenum (ut ſic hominibus imponendo lucrum faciant) ſimulando hauſturi, prius vel butyrô largiſſimè ingeſtô, aut oleo olivarum in magna copia abſorpto illud (ſi etiam quid, quod tamen raró fit, potant) eludunt, raró tamen absque ſanitatis jacturá id practicant, & ſæpe citiùs, quàm ſibi imaginantur, temeritatis ſuæ pænas ſuſtinent. Hoc ſal reſpectu alcali ſe habet ut pater & activum eſt, ut alcali paſſivum, ex natura ſua rodit, & cum alcali effervescens coagulatur, prodit ſe & guſtu, atque effervescentia cum alcali, & quod chartam cæruleam & ſyrupum violarum purpureo tingat colore, plurimaque concreta diſſolvat.

No. IX. Aliud datur *acidum auſterum*, aliud *acre, ponticum, acerbum, cauſticum*, aliud *fixum*, ut in vegetabilibus, ubi aliud quoque dicitur acetoſum, acidulum, omphacinum, citratum, granatum, ribeſiatum &c. aliud *fixius* in mineralibus, & denique aliud *fixiſſimum* in metallis: præter has differentias aliud exiſtit *volatile* & quidem duplex, nempe macrum, ut in aceto deſtillato; aliud *inflammabile*, ut in ſpiritu vini, aliisque liquoribus inflammabilibus, veluti & camphora; aliud item *copioſum*, ut in mineralibus, aliud parcum, in animalibus, quale forte (nec dum enim pro certo mihi conſtat) eſt in vitulorum ventriculo, quo Galactici lac in caſeum coagulant; aliud eſt *purum* quod tamen ſolitariè mihi nunquam viſum eſt; aliud *impurum*, ut in tartaro, fructibus acidis &c. aliud denique *occultum*, ut in lacte, oleo, melle &c. aliud *manifeſtum* in aceto, ſpiritu ſulphuris, malo citrio.

Ab initio ſtatim hujus paragraphi memoravimus, ſal hoc velut primogenitum & fundamentum reliquorum quaſi eſſe, quod revera nullatenus absque ratione dictum autumo, imò mihi perſuadeo, ipſis ſeminibus (ut corpora & ſic ſoliditatem adipiſcantur) concreatum eſſe, ſic ſemina in emulſiones redacta parte ſulphureâ ſeparatâ facilè rurſus aceſcunt; ſic omnes fructus ab initio, aut acidi, auſteri, aut acerbi ſentiuntnr, etſi ſulphure per calorem ſolis evectô eximiè poſt-

hac dulcescant; sic & prompta est vini negligenter custoditi acescentia: Reperitur quidem etiam in omnibus 3. regnis, *parcissimum* est in animalibus, statu sano detentis, nisi sub eorum, ut diximus, exordio exuperet; in vegetabilibus paulò copiosius invenitur, ut testantur cerasa, berberes, ribes, cydonia &c. in mineralibus, licèt sæpe sub alio adhuc schemate lateat, frequens est, inde & spiritus salis, nitri, sulphuris, vitrioli &c. in sat magnâ obtinetur copiâ.

No. X. Separatur à mixtis *duplici* fere modo, & quidem primò spontè præsertim in vegetabilibus, dum eorum succi expressi uti vinum, aut decocta v. gr. cerevisia post evaporationem aut ligationem partium spirituosarum volatilium uti & lac promptè acescunt; sponte item in apricum devenit absolutâ fermentatione, inde habemus vinum commune, cydoniorum, fermentum panificum &c. secundò separatur etiam *per artem*, & quidem rursus dupliciter, vel *fortiori* igne, ut in destillatione spirituum acidorum ex lignis, & mineralibus accidit, qui alembicum respuentes per retortam pelli amant, & ob id etiam acida fixa appellantur; spiritus sulphuris ex ipsa flamma, velut novus emergit phænix, vel secundò *mitiori* igne tractari cupiunt, ut acida volatilia tam macra, quam sulphurea, acetum facilè per alembicum transcendit, imò si paulò vehementiori igne opus destillationis urgebis, ipsum etiam vas diffringes, ut sæpius accidisse vidi, & ipsemet sensi; pariter lenius impelli amat ipse communis vini spiritus, reliquique liquores inflammabiles, qui uti facilè acquiruntur, sic paulo hostilius ab igne incitati etiam ipsas secum fæces per capitellum abripiunt, vasaque non sine singulari ejusdem jactura fœde despurcant. Virtus acidorum tam à statu *fixitatis*, quàm volatilitatis, husque vel macræ, vel oleosæ dependet, sic & revera multiplex est.

No. XI. Fixis acidis succedunt acida volatilia macra v. gr. acetum tam simplex, quàm destillatum, ipsumque tam vini, quam mulsæ, aut aliorum succorum &c. nam licèt & hoc acidum esse, & quidem in liquida forma testetur ipse gustus, alienam tamen à suprà dicto acido fixo possidet

sortem,

ſortem, dum & in nonnullis aliena ab eo donatur virtute; Eſt autem acetum liquor ſuccorum vinoſorum fermentatorum, à ſale acido prædominium acquirente, & fluorem ſuper ſulphureas partes adepto acidus inverſus. Multiplex eſt, propriè & communiſſimè deſumitur ex vino, dein & ex cereviſia, vino (teſtante jamdudum *Xenophonte*) ex hordeo &c. item aliud ex mulſa, hydromelite, ac quoque aliud ex ſuccis fructuum, pomorum v. gr. pyrorum, fragorum, rubi idæi, cydoniorum &c. & aliorum fermentatis & inverſis. *medium* eſt inter vinum hujusque ſpiritum inflammabilem, contrarium tamen effectu, & qualitatibus, differt enim à vino ſapore, odore & viribus: Modus generationis fere talis videtur, videlicet vinum ex amico, ſuavi, in acidulum ſtagma degenerat, fitque acetum, dum partes ſulphureæ à ſalinis & ſpirituoſæ cum acidis immutantur, ſupprimuntur, ac invertuntur (hinc ob immutatas partes ſulphureas, volatiles acetum non ſolùm non amplius inebriat, ſed & ebrietati ipſi potenter reſtitit) acidæ verò ſunt in ſolium evectæ & exaltatæ, hinc experimentis conſtat, per artem, ut habet *Williſius* de ferm c. 7. p. 42. & ex aceto rurſus ſpiritus inflammabiles (cùm prius particulæ ſulphureæ tantùm fuerint ſubjugatæ) acquiri poſſe, inde longè alia eſt aciditas ac eſt ſpiritus v. gr. vitrioli &c. ſed potius acrimonia quædam, quæ etiam partes ſulphureas formam angularem aſſumpſiſſe innuit, & ex hac parte agere, attenuare nempe & incidere, videtur: ex modò enarratis apparet, in genere omnia ad aceti productionem concurrere, quæ partes ſpirituoſas debilitant, acidasque ſalinas evolvunt & exacuant, oleoſasque deprimunt, ut ſunt primò inſolatio ſeu calor vini, uti & paulò diuturnior ejusdem aëri facta expoſitio. Secundò additio acrium, ſalinorumque aliorum v. gr. ſem. erucæ, piperis longi in hoc potentis, tartari &c. tertiò ipſum acetum proprium in ſinu fovet fermentum, quo vinum ſibi aſſociatum mulctat, & in ſui ſubſtantiam convertit, quæ omnia in aceto particulas ſulphureas non abactas, ſed ſubactas duntaxat & ſubjugatas eſſe nobis perſuadent, quemadmodum & butyrum diuturniore tempore in loco tepidiore aſſervatum ſine ſul-

phuris deperditione etiam acrescit, & rancescit, ac notabile spirat acidum. Cæterum curiosum est, dari in aceto simplici non destillato, præsertim ejus magmate, matrice vulgo **die Mutter** vocatô docentibus *Panarolâ*, *Bona*, *Borello Willisio*, *Nardio &c.* vermiculos, quod & autopsia & motu spontaneo per microscopium expiscandô confirmat; tametsi quidam sint, qui negent, & solummodo filamenta quædam esse contendant, videntur tale esse vermiculorum genus, quod & in absynthio, aliisque anthelminticis à muscis huc depositum reperire est, indemne tamen & innoxium; & quamvis in omni aceto, magis tamen in vappescenti cernuntur. Ex adductis, acetum & pro usu Medico & chymico seu pharmaceutico inservire posse, edocemur.

No. XII. Restat nunc, ut & quidpiam de acido volatili inflammabili v. gr. spiritu vini, & huic analogis subjectis in scænam ducamus; sunt quidam, qui hoc subjectum purum sulphureum autumant, inde nec momentum de acido ejus memorant, imò id totum cum D. Joan. Voigt Practico Berlinensi pernegant; sed contra hunc & similes nervosè scripsit solertissimus hujus sæculi Chymicus *Jo. Kunkelius in Epist. contra spiritum vini sine acido*, hujusque vindicatione, Germanico idomate editâ, adeoque meris sulphureis annumerari non potest, & quidem ex mente *Bohnii Dissert. Chym. Phys.* 6. §. 21. primò quia ab oleis quoad diversos affectus differt, dum illa sulphur commune dissolvunt, hic minimè, imò cum aqueis facilè connubium init, quod oleis neutiquam commune est. Secundò quia per fermentationem, quâ acidum evolvitur, præcedentem paratus, particulas salinas, vel plures intertextas vel evolutas gerit, adeoque de harum nunquam dubitandum est præsentia: Cæterum acidum esse spiritum vini cum sui generis liquoribus inflammabilibus, præter *Kunkelium* (qui simul ei paucum urinosum, cum parcissima terra attribuit) evincere potest Offa illa Helmontiana, ex spiritu vini alcoholisato & urinæ coagmentata; nec inferri potest, eundem cum sale tartari non effervescere, hoc enim ex longè alia provenit ratione; revera cùm & ipsum vinum etiam optimum aliquod

liquod acidum; naturæ tamen amicissimum uterò foveat, quidni & ipsius spiritus, eique consortes liquores inflammabiles ex vegetabilium fructibus &c. parati? dum cottidie quoque eosdem nimium quantùm inebriare experimur, quod revera non tantum ratione partis oleosæ, sed acido-oleosæ provenit, manet adeoque inconcussum, omnes liquores ardentes, similiaque concreta de acido participare & huc pertinere: acidum autem dictũ in hoc spiritu naturæ est valde amicum, spirituumque nostrorum genio analogum, nec rigidum & austerũ est ut vitrioli, nec tam acre ut aceti, sed blandum oleositate seu sulphureitate quadam amicâ, ut pleraque Medicorum pars censet, temperatum seu saltem juxta sæpe dictum *Kunkelium* acidô amicô, paucô sale urinosô volatili, & parcâ terrâ saturatô præditum; quod de vini spiritu, id etiam de quolibet alio ardente frumentaceo & quocunque alio dicta volumus, licèt ille omnibus palmã surripiat, hinc & *Paracelso* sanguis terræ, *Quercetano* omnium vegetabilium princeps, aliis Nectar Deorum ut vinum audit, vocatur, & 5ta Essentia &c. Huc pertinent quoque ipsi *liquores vinosi* per fermentationem confecti, ut sunt mulsa, cerevisia, uti & vina præsertim matura generosiora, utpote quæ jam per se, nec dum destillata, inflammata esse experimentis constant, & quæ matres spirituum inflammabilium sunt, & hos præfectò ex ipsa fermentatione in sinu alant.

No. XIII. Postquam abundè satis de binis illis antagonistis & pugilibus alcali nempe & acido hucusque disseruimus, ad illud tandem sal, quod ex amborum dictorum conflictu & congressu ac combinatione emergit, & *enixum* vel neutrum nuncupamus, devolvimur; *enixum* vocatur, quasi à patre acido, & matre alcali editum esset; *neutrum* verò quòd propriè nec sit alcali nec acidum, de utroque tamen participet; uno, & communiori magis vocabulô salsum appellari deberet, & hoc est genuinum salsum, quod nullum ampliùs conflictum sive ab acido sive ab alcali suscipit, sed potiùs sine pugna iisdem sese maritat; salsedo hæc cuivis probanti patebit: salia hæc salsa duplicis sunt generis, scilicet vel sunt artificialia, vel *naturalia* seu nativa; artifi-

cia-

cialia latiſſimè patent, ſuntque omnia, quæ ex alcali ſive volatili, fixove acido cuipiam combinatô eveniunt, maxima autem horum ob variam & multiplicem ab aliis minutiis intercedentem modificationem & formam eſt diverſitas; communiter rurſus duplicia aſſignantur; *una* quæ ex alcali volatili urinoſo cum acido confiunt, & vocantur licèt latô ſatis vocabulô *volatilia*, quale nobis ſiſtit facticium noſtras ſal armoniacum, non quòd abſolutè volatile, ſed quòd ejus pars volatilis additô alcali quodam ſeu calce viva &c. facilè à compedibus ſuis liberetur, ſuique juris iterum fiat; *altera fixa* quæ ex fixo alcali cum acido ſaturatô exoriuntur, inter quæ hactenus caput erexit decantatus ille tartarus vitriolatus ex fixo ſale alcali tartari & ſpiritu vitrioli æquè fixo compoſitus; at plùra, imò plurima talia dari hodie ſalia, quivis rerum parùm peritus judicabit, ſententiæque meæ ſubſcribet, modò componendorum eorum modos exactius penſitet, v. gr. arcanum duplicatum, ſal polychreſtum, ipſa ſalia lixivioſa adjuncto acido parata conſideret, quo & ſpectat ſal illud adeò laudatum antihypochondriacum ex cap. mortuo ſpiritus ſal. armoniaci cum ſale tartari confecti elaboratum, quod revera nil aliud eſt, quam ſal tartari acido ſalis armoniaci ſaturatum, & ſic enixum conſtituens; Talia quoque ſunt magiſteria *Rolfincii* abſynthii, vel cichorii vitriolata, ſeu ſpiritus vitrioli coagulatus abſynthiacus, aut cichoraceus, ſpiritus item ſalis balſamici coagulatus, ſeu magiſteria fraxini, Juniperi &c. ſalina, huc & meritò trahimus potioné illam antifebrilé à nonnullis ad ſydera elatam, ex drachma ſemis ſal. abſynth. & ſpiritus ſalis guttis XV. cum alii permixtam; Item ſingulariter hujus ordinis ſunt, quæ ex occultis quoque alcalibus cum aliis identidem acidis nobis ſiſtuntur, qualis eſt nobilis ille pulvis aperitivus mihi uſitatiſſimus, hypochondriacis & teneræ conſtitutionis ſubjectis apprime conveniens, qui ex anatica cremoris tartari & oculorum cancrorum portione, pauca aquæ cinamomi quantitate humectatâ, rurſusque exiccatâ ac pulveriſatâ habetur, & talia temperata ſalſa plura confieri poterunt, v. gr. ex coralliis &c. ſic pariter ipſa volatilia cum cremore tartari in tutiſſima ſalſa, omnibus phlogoſibus & hydropibus

pibus perutilia abiisse, jam centies novi; sapienti sat dixi, surdo in cassum cano, labor plura adhuc subministrabit; hoc unum rogo, ut si quondam ratione talium salium quid novi in laboribus Chymiatrîcis contigisse videbitur, ne mox arcanum obtinuisse gloriemini, revera enim ad unum horum 3. salium reduci posse experiemini. Sequuntur tandem naturalia seu nativa ita dicta, quòd à natura in terræ visceribus quasi producantur. & eruantur; varia autem sunt pro varietate, in quibus generantur matricum: Nominatiores autem species sunt hæ, sal commune, etiam marinum, gemmæ, vitriolum, alumen, armoniacum, &c. Nolo hîc controversiam à multis jam motam, rursus recoquere, an nimirũ propriè alumen, & vitriolum sint revera salia, an succi terræ potiùs nominandi, nec etiam de horum differentia & virtute alîqua edissero, cùm omnes hisce scateant authores, ideo cùm similia tractandi provinciam in me non susceperim, & Te, Benevole Lector, illuc remittendo, ad alia transgredior.

§. IV. Etsi prolixiùs hactenus in intimiorem salium enucleationem profusi fuisse videri queamus, nec crede tamen, quod fontem eorum, omnemque doctrinam exhausèrimus, plura mehercle restarent adhuc tradenda; At cùm nec ista ab ullo hactenus scriptore itâ digesta Tyronibus exposita sint, ideo & Tu hisce interea contentus vive, parique benevolentiâ sequentia æque utilia ac necessaria posthac excipe: dum nunc ad *moleculas sulphureas* enodandas descendimus; Hîc mox à principio notandum proponimus, nos sub harum nomine neutiquam sulphur illud commune citrinum ubique vænale intelligere, sed unicè notare velle aliquod in mixtis existens pingue, facilè inflammabile; quôd autem tale Elementum receptâ voce appelletur sulphur, hoc per Analogiam quandam ab ipso crudo & vulgari sulphure, quod φλόγιστον est, promanasse videtur; coincidit etiam hæc vox fere cum oleo velut pingui aliquo & inflammabili, hinc sæpissimè loco sulphuris à Chymiatris oleum aut pingue adducitur, quare etiam nobis & oleosum & inflammabile & pingue & sulphureum imposterum syno-

nima erunt. Nimis curiosum est, quod *Kunckelius* peritissimus aliàs rerum Chymicarum, ùt superiùs insinuavimus, artista, doctissimis quidem rationibus evincere cogitat, nimirùm omnem inflammabilitatem non à parte oleosa, sed ab acido cum urinosi & terræ parte commixtô, provenire, nimis, inquam, hoc curiosum est, nec facilè admittendum, primò quia hæc mens omnia chymicorum principia absque majori fructu invertit, secundò positô & concessô, acida cum urinoso & terra effervescere, nec tamen probatur, quod in flammam, si deesset sulphur, abeant, adeoque aliquid aliud accedat, necesse est, quod revera autem aliud non est, qnàm pars quædam oleosa. Tertiò sulphure in fructibus (non acidô) evectô & ritè digestô iidem dulcescunt, scilicet dum particulis suis blandis viscidis spicula acida hamata inviscat, involvit, sicque globosa reddit, inde sulphur primum, quod seq. sect. pluribus patebit, dulce est; quartò aqua fortis cum camphora in saponem abit cosmeticum, tutissimum, nobilissimum; oleum etiam olivarum aut butyrum antidotus est agyrtarum contra venena quandoque in theatris simulatè vel verè hausta, & ita suis spectatoribus fucum faciunt, spiritus salis armoniaci urinosus alcalicus volatilis cum pinguedine aut axungia aliquâ blandè côit, ergo, ut centena talia subticeam, aliud quid est pingue seu sulphureum, quàm acidum cum urinoso &c. habet tamen primà fronte plausibile satis argumentum, inquiens: nullum dari concretum sulphureum, nullam accidere inflammabilitatem, ubi non detur acidum, quippe si hoc ad unguem intimius rimabimur, profectò ex asse rem ita se habere inveniemus, sive enim regnum perscruteris animale, sive perterebres intimiora terræ viscera, aut ipsa mediteris vegetabilia, ecce ubique nempe & in animalium pinguedinibus, & in oleis, & in sulphure communi, in bitumine & succino, in antimonio, cinnabari, myrrhâ, verbô, omnibus concretis sulphureis nominatis videre & eruere est acidum, nec tamen hoc ullatenus sufficiens, omnem negandi corporibus sulphureitatem, argumentum suppeditat, quippe primò loquitur de concretis & mixtis, non de sulphure velut elemento,

secundò

secundò isthoc innuit duntaxat non tam facilè nobis sulphur solitarium seu pingue patere & cernere esse, verùm cum aliis adhucdum particulis variis, præprimis verò acidis concretum, & quasi in unum, sed mixtum, corpus coagulatum, unde (quemadmodum salia nùlla omnino pura & simplicissima nobis exhibentur, & tamen ideo neganda non veniunt) similiter nec sulphureum principium negari debet, aut potest; quare meritò subjecta pinguia & sulphurea etiam in medicina ad plurima difficillima phænomena explicanda retinentur, & considerantur, imò maximo in pretio semper habenda.

No. I. Dicuntur autem omnia illa mixta *concreta sulphurea* primò, quæ sunt *inflammabilia*, sive dein sint plùs minùs talia, sive pura, sive libera, & ex toto saltem ad sensum; vel à potiori, seu ex parte ad minimùm in recessu talia; secundò quæ habent *colorem* flavum, *auratum*, *citrinum*, *rubrum*, qui eminentis sulphuris, ut in croco orientali, indicium est, hoc colore quæ superbiunt plantæ etiam solares nùncupantur, uti & ex hisce parata medicamenta aurea intitulantur, eò quòd quasi sol totum vivificent corpus, & partes activas volatiles evocent, vel exaltent; tertiò quidam *odorem* addunt, plures autem hunc à salibus volatilibus (an sine sulphure fieri queat, dubito) deducunt. *Eruitur*, quemadmodum & suprà jam insinuavimus, *ex omni* regno, hinc de *minerali*, constare hæc mixta ex sulphure & mercurio, universale est assertum; In *vegetabili* eminet in seminibus, & excellenter lycopodii, corili, antheris quoque liliorum alborum, arborum etiam, fruticum, & florum, quæ in majoribus pluviis aquas præsertim circa loca sylvis proxima incrustat; inter flores hôc croci varii, flores calendulæ, cheyri &c. præpollent; ex radicibus superbiunt isto rheum, curcuma, lapathum acutum, chelidonia major tota, item muscus non nullorum saxorum violaceum odorem præse ferens &c. In *animalibus* (in quibus revera pingue vel maximè abundat) tali sulphure donatus sanguis, bilis, adeps, & quæ sunt talia *spontanea* sulphura, nam in quibus existunt adhuc magis implicita, ideòque separanda, quodsi factum fuerit, tum *separata* nominantur; implicantur autem jam ab

aqua, jam à ſalibus, acidô utplurimùm; in quibusdam eſt minùs panſum, & difficulter ſatis, ut in metallis, tanquam fixioribus, eruitur, nec tamen in iſtis, ut quidam volunt, negari debent; ex vegetabilibus utpote laxioris compagis etiam occultum ſulphur facilius habetur: Qualiternam verò ſulphura præſertim ex metallicis ſeparentur, fori non eſt noſtri, unum duntaxat hîc memoro, nempe alcalia ad ſeparationem & exaltationem ſulphuris eximiè conſpirare, exemplo Elixiris illius balſamici *P. Emerici Stahl* Eremitæ Berovienſis Ditionis S. Blaſianæ, quôd ex Anatica ſulphuris citrini & ſalis tartari parte per reverberationem paratur, quæ reverberata maſſa tota purpuraſcet, & ſpiritui vini rectificato tanquam menſtruo adæquato ſulphureo injecta mox intenſam conciliat tincturam; pariter & absque igne ſplendida acquiritur tinctura rhei, fere ex tempore, ſi hujus unciam dimidiam cum drachmis duabus ſal. tartari exactius commiſcemus, & dein in libra dimidia aquæ cichorii vel alterius infundimus; Excellens item obtinetur ſimilis tinctura ex ſcoriis reguli antimonii, in quibus ſal alcali tartari & nitri ſulphur antimonii recluſum tenet, atque mox ac ſpiritus vini affunditur, inſignis emergit color tinctus aurantius, quæ mixtura tinctura antimonii tartariſata, maximarum in depurando ſanguine virium appellatur; Innumera adhuc exempla talia adduci poſſent; ſed hæc ſufficiant, multa itidem adhuc de ſulphure philoſophorum (quô adepti ad lapidem illum benedictum philoſophorum, ad metalla in aurum tingenda & ſanitatem ac vitam in 120. annos producendam uti cogitant) ſcribenda reſtarent, de quo ajunt, eſſe principium calidum unctuoſum ſubtile, penetrativum, miris virtutibus præditum, ignem naturæ inviſibilem & vivificum mundi ſemen, at de materia iſthac quidpiam ſcribere ſuperſedeo, non tam quod mihi (nec etiam inveſtigavi unquam, nec inveſtigabo) ſulphur hoc videre contigerit, aliaque ad ſanitatem reſtituendam ſuppeditent remedia, quæ quòd neutiquam tam carô pretiô aurum accuper, cùm avicula hæc Hermetis millies quæſita, millies & artiſtam fugiat & deſerat; vera medendi methodus & ſedula phænomenorum obſervatio certior medico-

dicorum aurifodina eſt ; hoc unum addimus, eſſe ſulphur noſtrum ſpeciale omnium corporum vinculum & balſamum utile, dulce, conſtituereque rerum omnium vitale calidum, & exiſtere vegetationis & transmutationis inſtrumentum.

§. V. Dum modò perſtrictis & ſalinis & ſulphureis particulis ad aqueas devenimus, quæ & ipſæ reverà eò conſideratu ſunt digniores, quó magis quidam probare conantur ex aqua vel mediatè vel immediatè ab efficiente motu, & rectore ſeminali materialiter cuncta provenire corpora, ut habes in Baſ. l. 1. c. 2. §. 3. ſic jam ipſe inſignis philoſophus *Thales Mileſius* (quem præ aliis ſecutus eſt **David van der Becke**) aquam ſolàm pro prima & una omnium rerum materialium cauſa agnovit; Quò utique & Poëtæ alludunt, dum *Oceanum* & *Thetyn* generationis parentes eſſe cecinerunt, quod & ipſo *ſacro Codice* confirmari videtur, dum Columna Eccleſiæ noſtræ orthodoxæ S. *Petrus* ſecundâ cap. 3. verſ. 5. ait, *terra de aqua & per aquam conſiſtens Dei verbô*, imò maximè eſt æſtimanda velut à Deo benedicta, dum *ſpiritus* Domini ferebatur *ſuper aquas*; an verò tale principium eſſe queat, jam ſuperis c. 1. §. 2. decidimus; Eſt autem aqua, quam cernimus, fluidum (de ſimpliciſſima aqua non adeò conſtat) ſeu liquidum illud corpus, quod conſtat particulis tenuibus quidem ſed oblongis, lævibus, rotundis (non tamen ramoſis) & plicabilibus inſtar exilium anguillarum, quæ ſibi invicem ſuperimpoſitæ & agitatæ aquam (potiorem terræ partem inundantem) *fluidam*, mutatô autem ſitu ſibi intertexta glaciem, & variato ab igne motu recto in circularem *vapores* conſtituunt: Ex modò allata aquæ deſcriptione palam fit, eam *genericè* loquendo liquidam eſſe, & ſic convenit cum aliis liquoribus non aqueis, v. gr. vinoſis, & ſulphureis inflammabilibus, lacte &c. hinc inferre licet, in hac liquiditate ſeu potiùs (nam etiam metalla in igne liqueſcunt) fluiditate naturali ipſam ejusdem formalitatem conſiſtere, adeoque nunquam quietam eſſe, utut quoad quævis ſua minima noſtris oculis ſtagnans & omnino quieta videatur, quippe ope microſcopii clarè in ea motus undulationis ſeu alicujus ebullitionis jam patuit; *differt* à lacte,

colore, ſapore, conſiſtentiâ, & contentis, utpote quòd hoc verũ mixtum ſit, aqua autem ſimplicius; à *vino*, quòd hoc particulas quidem tenues ſed inflammabilès penes & ſalinas ſapidas foveat, iſta autem inſipida ſit, par eſt liquorum ardentium ratio; accedit, aquam etiam (quod fatum etiam lac, liquores vinoſi & ipſa olea ſubire poſſunt) accedente per frigus externum particularum dictarum omnimodâ quiete in glaciem plicari, licèt id difficulter ſatis accidat, nam etſi aqua facilè dilatabilis ſit, attamen ut aër, difficilius comprimi ſeu condenſari poteſt, & ratio eſſe videtur hæc, nempe aquæ partes ſibimet ita incumbentes exigua & vix ulla ſpatia vacua intra ſe admittunt, hinc & difficulter comprimuntur; *differt* tandem ab oleo, quòd non ſit ramoſa aqua ut iſtud, nam primò ejus partes à corporibus, quæ diluit, levi negotio abiguntur, dum econtra ramoſæ ſibique magis implicitæ olei particulæ quibusvis poroſis magis agglutinantur, iisque altius infiguntur, ut ab iis non adeò commodè ſe expediri aut detergi valeant, imò oleum aquæ confuſum & per agitationem diuturniorem & vehementiorem huic quoad minima, noſtrâ opinione, commixtum mox propriam ſphæram repetit, ejusque partes ſibi iterum ſpontè implicantur, ideò quòd leves & flexiles aquæ moleculæ facilè elabantur, per ramoſitatem verò ſuam ſeſe mutuò & per gynglymum quaſi quendam excipiant, ac detineant; ſecundò quod aqua leniter effuſa in ſeparatas guttulas, & minores decidat, olea econtra dum ſtillant, in fila quaſi protrahantur, majoresque proin guttas efforment &c. Habet *& ſuas* affectiones aqua, quarum prima eſt, quod adhibito igne & calore promptè diſſipetur, & in vapores elevetur, nam tènues & leves cùm ſint illius particulæ, ideo facilè quoque diſuniuntur, & diſſipantur; altera eſt quòd ſit, ſi pura, plane inſipida, utpote quòd ejus partes glabræ papillas linguæ nerveas non ſtringant aut fricent, ſpirituumque motui potiùs òbtemperent, quàm ut aliam motus determinationem ipſis imprimant: *Tertia* denique erit, quòd propter illam ipſam partium contiguitatem & hinc glabritiem & flexibilitatem aqueorum minimorum exactiorem, aqua aere juxta quosdam

dam millenis fere vicibus, juxta *Boylæi* experimentum saltem octingentis *ponderiosior* sit. *Aqua* est vel *supercœlestis* altero creationis mundi die supra firmamentum evecta, vel *subcœlestis* & sublunaris; rursus est vel *congelata* ut glacies, nix, grando, vel in forma vaporum divisa, & nominatur *vapor*, vel *liquida* madefaciens palpabilis, quæ rursus vel fluit, ut fontes salientes, flumina, rivi, amnes; vel stagnans ut putei, lacus, stagna, paludes, item vel *naturalis simplex*, vel *naturalis medica*, ut thermæ, acidulæ &c. vel *artificialis medica*, ut aqua destillata &c. Cæterùm sciendum, aquam nostram, utut purgetur, scatere tamen omnem (magis tamen unam præ alia) adhuc suis heterogeneitatibus, quas quidam per subsidentiam & filtrationem separare contendunt, alii animadvertentes hunc nullo modo sufficere, per destillationem id efficere conati sunt, dum sic notabilis terræ & salis copia remaneret, qui modus depurandi aquam optimus quidem videtur, non tamen semper finem attingit, quippe, tametsi sal fixum remaneat, secum tamen sæpe aliquid salis volatilis evehere, & per alembicum abripere potest, imò etiam subinde & terrestreitates quasdam sibi arctius combinatas, secum auferre valet, adeò ut nunquam fortè de vera alicujus aquæ primigeniæ simplicitate nos certos esse liceat, præprimis cùm celeberrimus *Borrichius* in Hermete contra *Conringium* vindicato testetur, aquam etiam limpidissimam & vel decies per destillationes ab omni fæce liberam, in veram, firmam, fixam & insipidam terram mutari, sic eandem iterum iterumque frequentissimè ex recentibus semper vasis vitreis destillando evoces, quâvis enim vice tenellam cuticulam terream, sed elegantem ex aqua illa enatam superfitiei vitri interiori agglutinari refert, quod & *Dichinsonus* sibi centesima destillatione accidisse prohibet & affirmat: per retortã res hæc longè certior est, vidi hisce diebus etiam partes metallicas ab infuso oleo tartari per deliquium ex phlegmate vitrioli, ut accidit ex vitriolo soluto, satis profusè præcipitatam fuisse, quæ exiccatæ flavescentem pulverem repræsentabant. In concinnandis & concinnatis corporibus plurimùm præstat aqua; conciliat iis singulariter

ter mollitiem, lubricitatem, lentorem & lævitatem, facit etiam humectationem v. gr. articulorum & aliarum partium, tribuit humoribus & sanguini fluiditatem & mille talia &c. ad alia nunc progredimur, hinc

§. VI. Ultimò ad *terreas* convertimur, ubi tamen mens non est terram impræsentiarum considerandi, quatenus macrocosmi pars elementi simplicis nomine peripateticis veniens originalis est, nec quantenus rerum omnium mater alma divinâ, fertilissimâ ac ditissimâ prædita favissâ, seminum incomprehensibili thesaurô inmundi usque finem duraturo repletâ peripheriam versus depicta frugum coloribus, & omnis generis animalibus tecta, visitur, sed quatenus corpora etiam ex his moleculis combinata per Chymiam juxta B. l. 1. c. 2. §. 3. observantur. Considerabimus ergo hîc terram seu particulas terreas tanquam substantias solidas, & fixas, sulphurearum, salinarumque ac aquearum expertes, hinc fere nec igni, nec aquæ cedentes, corporibus imprimis soliditatem, impenetrabilitatem, siccitatem, densitatem, duritiem, crassitiem, ariditatem, asperitatem &c. contribuentes; Ne quis autem hîc imaginetur sibi, nos hoc in passu statuere velle, aut censere ex terra, elemento creditâ corporibus accedere, sed tales subintelligimus, quæ ex ipsa aqua per Rectorem seminalem, ut modò citato loco videre potes, exurgunt, quippe non ex terra sed in terra mixta confiunt, dum hæc omnium matrix est corporum, unde Philosophus per ignem nobilis Dynasta *van Helmont* in tract. de terra ait: originalis terra nunquam ad fructuum mistiones concurrit, nec à natura assumitur &c. cinis elixiviatus terram sistit, nec tamen ea est, quam pedibus calcamus, sed aquæ tantum soboles; dari tales partes terreas in corporibus nemo est, ut credo, qui dubitet, hinc nec ego diutius hisce immoror, sed hæc corallia deduco &

§. VII. Concludo, quinque has moleculas revera omnia corpora mixta unicè constituere, primò enim licet adeò pura & simplicia nostris non objiciantur oculis, sunt tamen in se spectata revera corpora simplicia, ex quibus unum quid, uti in antecedentibus fusè edocti fuimus constituitur; docet hoc

secundò ex hisce minutiis prælucente & Divino nostro *sene* omnium omnino phænomenorum, qualitatum tam naturalium quàm præternaturalium &c. juxta variam nempe illarum mixturam vera & genuina ratio & explicatio exhiberi poterit, ipse *Waldschmid* Carthesianus ceteroquin in suis Instit. dicit. ex combinatione salium oriri varias sanguinis temperies & intemperies, quod in sequentibus luce meridianâ clarius demonstrabitur. Hoc & ipsa analysis docet, dum in hæc ultimò corpora resolvuntur, & ista tamen in aliud corpus per se subsistens dividine queunt, prout & ipsi Peripatetici cum suo coryphæo *Aristotele* de suis elementis tertio de cælo c. 3. text. 33. dicente *manifesta sunt hæc ex illis segregata*, asserunt, nempe in quæ corpora per metastasin seu ἔκκρισιν resolvuntur, ex illis quoque per σύγκρισιν seu commixtionem constant, ut cap. 1. in fine insinuavimus. Quartò analysis quôque dicta seu corporum resolutio sparsas nostras minutias heterogeneas rursus separando diversis modis colligit, nunc enim in apricum ducit fermentationis, nunc ipsius calcinationis mediô, jam in auxilium vocata percolatione, seu filtratione, nunc instituta per alembicum destillatione, jam vero quæsitâ per instillatum peregrinum liquorem præcipitatione, nunc & facta evaporatione, ac tandem, ut multas alias operationes subticeam, tentatâ putrefactione, & licet hæc nomina Chymicorum magis, quàm physicorum scholis notiora sint pleraque, attamen Philosophiæ naturali eò sunt nunc mancipata, ut sine his subsistere posse nec ipsa credat: hisce autem de laboribus consule chymiam.

CAPUT V.

De

Affectionibus mixtorum secundariis seu qualitatibus.

§. I.

EX hactenus allatis vel maximè elucescit, quòd cùm hæ nostræ quinque minutiæ elementares in actu entitativo, li-

cèt hinc inde sparsæ & subtilissimè divisæ (ideo non usque adeò manifestæ aut per artem, nondum ad ἀκμὴν delapsam, demonstrabiles) corpora mixta per seminum directionem seu simplicia & uniformia ac homogenea, seu *composita* generabilia & corruptibilia (de quibus nobis primarius est sermo) *mixta* appellata constituant, imò harum varietas juxta proprietates mechanicas, (utpote à quibus omnis earum vis & potentia dependet) omnem istum corporum quocunque modo mistorum exercitum insignem materialiter sistat, hinc & omnium optimè emergentium inde virtutum, functionum potentiarum, effectuum, & proprietatum cunctarum ratio peti possit absolutissima, Bas. l. 1. c. 2. §. 3.

§. II. Nec hîc tamen puta, adhoc ut ad certas functiones obeundas determinentur hæc nostra quinque elementa, ea adeò inconcinnè, confusè & infractè ac destructæ inter se invicem commisceri, neutiquam profectò, sed & juxta communes materiæ affectiones ad munus in quolibet corpore ipsis assignatum peragendum determinentur, necesse est, inde primò requiritur & certa earum *magnitudo* (inter affectiones corporum naturalium communes prima) determinata scilicet, ac limitata, functionibusque cujusvis corporis accommodata & proportionata: sic apis non habet à natura staturam canis utpote quæ ipsius operi adversa, & impedimento foret: secundò non hæc duntaxat, aut quantitas corporum statum absolvit, sed & desideratur insuper secunda earundem affectio, specifica scilicet figuratio minutiarum, aut *figura*, (extremitatum debita & specifica dispositio) qua corpus hoc vel illo dein munere fungitur; sic acus pungit, culter scindit, cuneus dividit &c. tertia communis affectio numeratur certus particularũ ad se invicem ordo ac *situs* inter alia vicina, in animalibus & vegetabilibus & velut machinis artifitiosissimis vel maximè illustris; & tandem 4tò communissimum imò inevitabile est omnibus corporibus aut moveri aut quiescere, ergò & *motus* & *quies* inter affectiones corporum communes haberi merentur, imò debent, & quidem *quies* in eodem statu, v. gr. sub eadem forma essentiali, aut sub eadem qualitate, aut ejusdem qualitatis varietatibus, & huic opposi-

positus motus aut perseverantiæ dictæ mutatio & mutabilitas innumera rursus exhibent corporum naturalium phænomena & accidentia pervestigatu sanè scituque dignissima; quid motus sit, undeque ipse deveniat, plurimum hallucinamur, scimus quidem, omnem motum localem esse seu transire à loco per medium in alium locum, } *Bas.* n. l. 1. c. 2. §. 8. Non tamen fit à se ipso, sed reverà ab impellente alio; scimus itidem, materiam motam, ni major obveniat resistentia, etiam aliis suum communicare motum corporibus, exemplo pyroboli in murum ejecti &c. & quia in eodem semper pondere & quantitate manet, nullam quoque suæ materiæ partem transfert; Et positô, non concessô, quod corpus motum aliquas suæ materiæ partes tribuat, rursus quæritur, quomodo istæ motum efficiant? ex se enim id non possunt præstare, quia nil nisi suas particulas transmittunt, quæ nullatenus sunt motus, neque suâ naturâ motu donantur, sunt enim ad motum & quietem indifferentes: deinde corpus nullum per se aliud corpus movere potest, aliàs se ipsum movere posset, nihil potest verò à se ipso moveri, sed à primo motore Deo, à quo hucusque in pari quantitate conservatur, conservare autem motum, est idem ac jugiter reproducere. Motus ante intellectus examen existens nil est, sed tantùm mentalis de moto corpore respectus; globus enim, si à tormento bellico exploditur, mente primò concipitur, deinde aër, in quo movetur, & tantem murus, in quem irruit: sic motus non poterit esse vera efficiens aut naturalis causa, cur aliud corpus, ab alio impulsum, moveatur, sed tale corpus primò motum est tantum impellens, seu occasio, cur quietum corpus juxta statutas motûs leges à supremo motûs authore moveatur, profectò enim nihil potest materiam solâ figurâ & magnitudine &c. donatam ab uno corpore in aliud transferre; sic diversi motus nonnisi à partium figurâ, mole, situ, & texturâ dependent, quæ licèt naturales & secundæ causæ vocentur, non tamen veræ sunt causæ, sed tantùm passiva quædam, apta tamen instrumenta & occasiones, quibus corpora ad hos effectus à Deo determinantur: si modò desideras, quot & quænam sint motûs omnis, quibus cuncta naturæ phænomena clarè

re & perſpicuè explicari queant, præcipuæ leges, percipe.

Prima eſt quodcunque corpus movetur, ab alio corpore movetur.

Secunda, Corpus in motu poſitum, motum obviis corporibus (ſi molis non ſunt excedentis) *communicat.* Atque ab his motûs legibus, omnia communia naturæ phænomena promanant, licèt ex dictis variæ aliæ leges, quibus effectus corporum naturales clariùs intelligantur, deduci adhuc ſoleant.

Tertia, Corpus in motu poſitum, *in motu* eousque perſeverat, donec motum alteri corpori communicet. Hæ 4. ſunt affectiones corporum naturalium etiam noſtrarum minutiarum catholicæ & modi radicales, ex quibus omnium effectuum & temperierum naturalium & præternaturalium cauſa poſtulanda venit, exindeque neceſſariò tanta corporum diverſitas, hinc diverſæ iſtorum affectiones ſeu proprietates ſecundariæ & reſpectivæ (*qualitates* nominatæ) emergunt, de quibus nunc nobis agendi provincia erit, utpote quod animalium etiam noſtros ſenſus partim è vicinia & immediatè, partim è longinquo & mediato contactu diverſimodè afficiant, vocanturque ob id *qualitates ſenſiles*, partim quoque quòd effectus edant in ſenſus quidem incurrentes, ipſa tamen immediatè in ſenſus noſtros non agant, ſed ex effectibus ſuis rationis interventu deprehenduntur, ut vis magnetis attractrix, lunæ in ciendis maribus &c. quibus ultimis potius àd phyſicam ſpecialem relegatis, de prioribus impræſentiarum, nec tamen de omnibus, ſed ſolummodò temperiem &c. concernentibus, ſpecialius agemus.

§. III. *Qualitas eſt certa particularum diſpoſitio* & contextus, unde corpus naturale quale, vel tale denominari poteſt; ſeu *eſt ea res*, *per* quam ſubſtantia eſt efficax, ſeu quæ movet ſenſus, reapſe eſt ipſa materia totaliter & taliter ſecundùm 4. primariòs modos abſolutos modificata, *Baſ.* l. 1. c. 2. §. 6. adeoque etiam quidquid tandem in hoc univerſo operantur, operantur ſanè ratione ſuorum modorum primariorum, figuræ puta, ſitus, magnitudinis, vel motûs aut quietis, ruit

hinc,

hinc, ut suprà c. 2. §. 2. n. 3. dedimus, usitata hucusque in scholis medicis qualitatum in primas, secundas, tertias, facta distributio, nec enim primæ dictæ v. gr. calor, frigus, siccitas, humiditas, fontes sunt secundarum & tertiarum, nam omnes omnino qualescunque qualitates ex certa juxta affectiones materiæ primaria, particularum dispositione æqualiter scaturiunt, sic censet & ipse *Aristoteles* lib. 8. Phys. cap. 8. vel 10. tit. 55. & secundò de ortu & interitu c. 2. Sic *calor* dependet à *motu*, cum sit varius, multiplex & tumultuarius motus intestinus minimarum particularum corporis calidi, quô feruntur circa suum centrum, satisque validè agitantur ad movendum sensum tactus: *frigus* econtra consistit in earum quiete; est enim vel quies integra, vel saltem minor earum particularum motus, inde nec mera est caloris privatio, cum etiam quies sit modus realis, ni mordicus velis contendere, in frigefacto saltem esse meram privationem, licet positivum quid in frigefaciente dicatur; *humiditatem* quod concernit, ex ipso habemus situ, quippe illa in motu earum partium corporis humidi consistit, quæ satis magnæ sunt, ut corporibus duris adhærere queant; *siccitas* tamen contrario modo se habet, & in hac corpora talia nil vel parum humoris admixti habent, consequenter defectum quantitatis aqueæ dicit, quemadmodum totaliter istæ qualitates primæ olim nuncupatæ à modis duntaxat primariis prosiliunt, sic & revera omnes aliæ tam sensiles, quàm insensiles & occultæ nominatæ eandem agnoscunt originem, & eundem nactæ, sunt fontem, de illis modò.

§. IV. Qualitates sensibiles specificantur à sensoriorum corporum animalium varietate, hinc pro quinquenario sensoriorum numèro appellantur primò à tactu *Tactiles*; ab auditu *audibiles*; à gustu *gustabiles*; à visu visibiles; ab odoratu denique odorabiles, de quibus fusè loquitur B. m. l. 1. c. 10. à §. 1. usque ad nonum. Addere hic expedit, inter *tactiles* numerari *duritiem*, & ei oppositam *mollitiem*, hisque confines *firmitatem seu stabilitatem*, *fluiditatem*, istiusque summum gradum *spirabilitatem* seu *volatilitatem* cum diversis mollium durorumque modis v. gr. *fragilitate*, *fria-*

bilitate, *fissibilitate*, *secabilitate*, serrabilitate, ductibilitate, viscositate, compressibilitate, tensibilitate. Secundò *asperitas* ac *lævitas* hujusque quasi species *lubricitas* huc trahenda; tertiò densitas etiam & *raritas*, *tenuitas* & *crassities*, *continuitas contiguitas* &c. quartô supra adductæ 4. *qualitates primæ putatæ* vulgari tamen significatu receptæ & *viscositatem ariditatem* &c. tanquam species aut affines complexæ; & denique quintò gravitas & levitas, seu major, minorque ponderositas agmen tactilium claudunt: Has omnes qualitates à modis primariis dependere docet præsertim ipse Peripateticorum parens, partim ratio confirmat; ille *categori*: de quali & qualitate hæc habet: Rarum autem ac densum, asperum & læve putares equidem quale quid significare; sed videntur ea aliena *esse ab ea* divisione, quæ circa *quale versatur*, situ NB. *enim* potiùs aliquem partium *utrumque* significare putes; densum enim ideò aliquid dicitur, quòd partes sibi vicinæ sint, ut in metallis, lapidibus, ligno buxi &c. rarum autem, quia ab invicem magis distant, & poros aëre vel aquâ repletos habet: & læve quidem, quod partes in rectitudine quodammodo positæ sint; asperum verô, *quòd una pars emineat*, *alia deficiat*: hæc ille. Cæterùm etiam ipsa ratio hoc in aliis dictat, unde enim v. gr. durities ac stabilitas nisi in minutiarum arctiore ac pressiore nexu? exinde tactui difficulter cedit. Mollities econtra quid aliud denotat, quàm laxiorem particularum dispositionem? faciliusque cedit. Nonne *crassities* & *tenuitas* solummodo particularum sive molecularum, cæteris partibus majorem vel minorem magnitudinem designant, & crassum quidem, quod vix in tenues partes comminuitur, & haud facilè penetrat, ac tenue econtra. *Levitas* est comes raritatis uti *gravitas* densitatis; Viscositas seu *lentor* humorem viscidum & oleositatem, ut in visco & pelliculis nucleum nucis proximius tegentibus, significat: abrumpo de cæteris filum, qui plura desiderat, adeat ipsum *Aristotelem* ultimo cit. lib. tit. & c. 1. item ipsum de omnibus hisce prolixiùs agentem P. *Honoratum Fabri* tr. 2. phys. scient. l. 4. propos. 42. pluribusque tam anteced. quam consequentibus: sic certò omnes,

quo-

quoquot sunt, qualitates à primariis corporum & molecularum modis dependent; sic pariter qualitates audibiles (sonus) à tremulo & undulante aëris motu derivandæ veniunt; uti & tertiò lux ac lumen activum nil est, nisi corporis cujusdam tenuissimi aut motus aut nisus rectilinius in oculi fibras continuatus, denique quartò ipsi odores seu qualitates odorabiles (adjunge sapores) verè in effluviis quibusdam corporeis colloces, necesse est, nam horum ipsorum effluviorum conditio pro varia particularum, ex quibus conflantur, tenuitate, flexibilitate, figura &c. odores (& sapores) sistunt.

Tandem *qualitates gustabiles* tanquam mâgis fini nostro contribuentes, peculiari nomine sapores dictas aggredimur, quorum revera magna est varietas, quam noscere, etsi medicus coquis omnibus exercitatiorem gustum nactus foret, attamen difficillimum rerum naturalium crases & sapores, in quibus earum agendi & operandi vis potissimùm fundatur, funditus eruere; hucusque saltem à priori (tametsi ab effectibus non nihil) pro impossibili æstimatum fuit, hinc nec cichoreum hepaticum, nec rosmarinus cephalicus, nec absynthium stomachicum, nec tormentilla nitrum perfectissimum, in tantum prope texturæ particularum antidysenterica, nec cicuta toxica, aut hyosciamus narcoticus &c. nisi à posteriori hucusque agnoscebant, ideo duntaxat, quod crases & mixturæ particularum minimarum, indeque latentes sapores ignorabantur, placet idcirco per peculiare caput materiam de saporibus paulo fusius percurrere.

CAPUT VI.

De Saporibus.

§. I.

SApores nostros dum exponere satagimus precor *Jehovam*, ut sapidam quoque sapientem puto, pennam eos ritè enarrandi largiatur, quo sic in posterum foro medico doctrina

dein

dein temperato Hypocratico intentata majori cum fructu pateat: sunt autem *sapores* talia corpora, quæ ratione particularum quarundam præsertim NB. salinarum motarum certæ figurationis, (etiam magnitudinis & sitûs) linguam (gustûs organum) pungere & singulariter movere queunt: profecto omninô dicendum est, sapores in magnitudine, figura & motu variantiam particularum, ex quibus corpora sapida componuntur, consistere, quibus dein filamenta nervorum linguæ nostræ diversis modis agitantur unde & diversæ saporum ideæ seu perceptiones in anima nostra eveniunt, constat hoc primo, nam metalla, vitra &c. insipida sunt, eò quod partes, ita juxta se invicem arctè combinatæ quiescant, ut nec linguæ poros subire nec filamenta intimiorum ejus nervorum movere queant, manifesto indicio, sapores unice in virtute agitandi nervos organi gustûs in prædictis modis fundata consistere. Secundo corpora parumper calefacta plus saporis quam frigida exhibent, & undè nisi â majori particularum per calorem inducto motu? Tertio qui negare audet consideret, quæso, saporum differentias in cibis crudis & coctis, insignem reperiet sanè gratiam coctorum â solâ mutatâ per ignem figurâ provenire & hinc alium quàm in crudis saporem esse,& quid ultra ambigis, taliter enim explicatis saporibus facile est, omnes saporum differentias enodare: quarto propter solam figuræ & texturæ particularum sapidarum mutationem 2. liquores fortem saporem obtinentes ex eorum mutua miscela tertium omninò insipidum, aut saltem novi penitus saporis quid producere possunt, quatenus nempe mutua conjunctione sapidæ salinæ particulæ ita fiunt vel magnæ, vel obtusæ, vel aliô modô figuratæ, ut sine impressione in lingua insipidæ, cum impressione novâ noviter sapidæ appareant; sic spiritus vitrioli acidus cum ol. tartari per deliquium conjunctus abit in tartarum vitriolatum saporis amaro - salsi; acetum attactu minii ita immutat suam texturam, ut dulcescat; spiritus sulphuris vel vitrioli cum terra sigillata ita alteratur, ut aluminis æmulus fiat; spiritus acidus in sulphure adhuc insipidus est, in marte sub vitrioli martis præparatione saporem vitriolium dulcescentem aquirit;

aquirit; ſpiritus ſalis acidus attactu cujusdam ſalis volatilis urinoſi ex mutua textura conſiet ſal armoniacum ſaporis ſalſi; vinum & acetum ex infuſis oculis cancrinis &c. ſaporem intenſè ſalſum â priori totum alienum adipiſcuntur; vino, ex quo ſpiritus ſeparatur, magna imò maxima ſaporis mutatio accidit, etiam eodem ſpiritu addito nullô modô in antiquam gratiam reſtaurabilis; ex regis aqua poſt ſolut. martem a me *Ephem.* exhibent ex præcipitatione per ol. tartari deliq. vitriolum perfectiſſimum. In tantum nempe texturæ particularum mutatæ etiam immutant ſapores: Et hinc ratione hujus variantis texturæ tanta emergit varietas B. lib. 1. cap. 10. §. 6. & profecto, ut ut rem examinemus, ſalia ferè ſola tale conſtituunt principium, quo revera unice ipſi ſapores omnium facillime enucleari & exponi, indeque ipſa mixtorum temperies & intemperies &c. quam optimè demonſtrari poſſunt, cupis teſtem etiam ex antagoniſtis, en ſiſto tibi *Frider. Hoffmannum* inſignem Doctorem qui in fund. med. c. 2. No. 64. hæc habet, *cauſa ſaporis ſal eſt*, *quod ratione particularum diverſæ* figuræ & magnitudinis varie *modificatum* diverſos *exhibet ſapores*; non tamen excludendæ omnino ſunt, reliquæ minutiæ, hinc addimus li *præſertim* ſalinarum, ſæpe & ſulphureæ ſapores modificant, quod ſequentia uberius patefacient.

§. II. Pro varia ſalium in mixtis modificatione, *ſapores* ex mixtione reſultantes varii etiam & valde diverſi nobis exhibentur, qui dein quoque has vel illas temperies & craſes conſtituunt, datur enim & teſte noſtro Protoparente Hypocrate & amarum, & dulce, & acre &c. & ſexcenta alia, adeoque quot talia, etiam tot ſapores rerumque craſes, ac agendi potentiæ credendæ ſunt; hinc ſapor multivarie ab Autoribus in ſcænam trahitur, jam ſub veſtitu ſimplici, vocaturque ob id ſimplex, ut amarus, alcalicus, lixivialis, dulcis, acidus, ſalſus, pinguis, ut ſunt ſapores molles, duri vero ſapores, ſunt auſterus, acris &c. deniquè & inſipidus jam ſub multiplici amictu, nuncupanturquè compoſiti, ut acido-dulcis dulco-acris, acido-ſalſus &c. quæ ſaporum diverſitates mehercle omnes â peculiari quinque molecularum & emi-

nenter ſalinarum textura unicè emanant, quemadmodum nunc in præſentiarum pluribus demonſtrabimus.

§. III. Gratiſſimus eſt omnium ſapor dulcis apud Græcos γλυκὺς dulcis, velut guſtui noſtro amiciſſimus, ſuavis, & gratus, eumquè mirum quantùm oblectat, cum nullô qualitatis exceſſu moleſtus ſit, hinc qui li dulce, â delitio (inuſitatô quidem verbô, non tamen adhuc rejectô, inde & nomen delitiæ fluxit) derivant, â ſcopo non aberrant, undè & moraliter omnia, quæ nos alliciunt dulcia vocitantur, ſic eſt v. gr. amica vox, ſermo, odor, &c. dulcis, dulcis vita, cantus &c. appellatur, unde juxta *Grube* de ſimpl. Med. cognoſc. ſect. 4. art. 1. pag. mihi 65. centri vicem gerit, & concoctionis (ut in benè maturatis fructibus agnoſces) index eſt, in medio velut conſtitutus â quo, qui vel hinc vel inde deflectunt exceſſum quemdam vel in frigore vel calore deſignant. hinc & omnium naturaliſſimus eſt, utpote quòd in eo quinque minutiarum moleculæ ita ſibi ſint contemperatæ, ut nec ulla illarum ſenſu poſſit deprehendi, ſed geometrica proportione, ita ſeinvicem moderantur, ut velut in æquipondio, motùque mediocri ſingulæ verſentur, nec effectum edant calidum, nec frigidum, nec humidum, nec ſiccum, &c. ſed ſimilitudinem quandam vel quaſi talem cum corpore noſtro convenientem habent, deinde quousquè humores corporis noſtri dulces vel quaſi tales, id eſt temperati (ut naturaliter debent eſſe) in nullo ſapore excedentes deprehenduntur, eousque etiam horum fluidorum ratione (ſolida aliam merentur conſiderationem) naturali gaudent ſanitate, ritèque ſuas obit functiones, ſanguificatio nobilitatur, & exin dulceſcit ſanguis, corpusque laudabiliſſime nutritur, dulcia enim particulas ſortiuntur lenes, rotundas, nullatenus anguloſas. Sed globoſas, hincque partes ſalinæ blandò, roſcidô & copioſô ſulphure cum partibus ſpirituoſis intermixtis obliniuntur & inhamantur, ut globulorum more præter lenem & blandum tactum guſtum non afficiant, ſed æquabili tractu præterfluunt, ut videmus de chylo dulci, lacte, carnibus etiam vino ritè excoctô; Ingenioſus *Williſius* dulcedinem hanc â corporis cujusdam particulis in molles aculeos ita *figura-*

gura-

guratis derivat, ut leni afflictu ſenſorium titillent, & exindè jucundum voluptatis ſenſum excitent, non aliter ac plumarum ſtriæ hypochondriis ac manuum volis admotæ riſum etiam voluptuoſum alliciant. *Dulcia* exiſtunt in *duplici ſenſu talia* alia videlicet privativè & impropriè ac ſenſu medico, ut terra vitrioli dulcis, mercurius dulcis ſic etiam ſaccharum ſaturni dulceſcere dicitur, ſic & nonnullæ operationes chymicæ edulcorationem dicunt. Alia ſunt propriè & poſſitivè talia, quæ & vulgus pro talibus agnoſcit v. gr. liquiritiam, polypodium, ficus, paſſulas, mannam, lac &c. eosque & ſenſus guſtus approbat.

§. IV. E contra ſapor amarus, ingratus (*Plutarchi* lib. I. ſympos. quæſt. 6. pag. mihi 624. guſtui hoſpes & triſtis, nuncius,) Græcis πικρὸς appellatur, â verbo πικραίνω, amaritudinem affero, quod fortè de bile intelligi volunt, nam & πικραίνομαι idem apud eos denotat, ac exacerbor, ſeu amarulentus ſum, cum velut linguam corrodit aut divellit, ſic omnia etiam ingrata, triſtia, iracunda, tædioſa, odioſa, moroſa, amara vocantur, ſic amari labores ſic & *Xantippe* amara mulier, ſic & ipſa mors (quæ graviter accidit) amara, & terra illa, cujus fructus labori non reſpondent, amara dicitur, ſic & ipſa gens ruſtica & plebeia paulo, ſaltem ſuâ opinione rigidiùs tractata, mox exclamat, der Herꝛ iſt mir zu herb/ quod pro amaro bitter intelligunt. Cæterum amaritudo in eo, quoad modos primarios, conſiſtere apparet, non tam quod talia corpora particulis aculeis furcatis conſitas, & hinc angulos diſruptos obtineant, ita quidem ut non altè ſed ſuperficietenus tantum ſenſorium linguæ fodicantes incommodam titilationem, triſtemquè quemdam ſenſum inferant non aliter ac ſi aculeatus dipſaci fructus aſperè in manibus contrectetur, hinc & primo carnes nimis aſſatæ ob inductos aculeos furcatos anguloſquè prædicto modo ignis virtute diſruptos ſemper amareſcunt, hinc & ſecundo amara ut plurimum ſunt calida, utpote quod partes eorum paucioribus angulis conſtantes facilius motum & calorem in ſtomacho concipiant: Quoad moleculas, ex quibus is componitur planè ſalis major pars cum ſulphure & quadam terra aſſocia-

tur, cumque eo adustionem passum ut in aloe, absynthio, colocynthide, centaurio minore, felle terræ dicto, opio, myrrha &c. prædominatur, inde evenit ut amara calefaciant, exsiccent, abstergant, deobstruant, vi sua terrestri non nihil astringant, putredini resistant amara balsamica, inde & *antihelmintica*, & quatenus vitiosos vapescentes humores corrigunt *anticachectica* item sudorifera, diuretica & antihypochondriaca, stomachica, quatenus nempe acidos humores invertunt, sanguinem torpidum excitant & volatilisant, plus enim de parte alcalica quàm aliis abundant.

§. V. Transgredimur nunc ad alium huic fere oppositum saporem nimirùm acidum, saur / utique ab aceo ich bin saur / vel etiam ob particulas acutas, ab acuo, provenit, hinc & græcis ὀξὺς acutus ab ἀκὴ acies appellatur, uti & ὄξος acetum nominatur, nempè quòd hic sapor celeriter penetret, & simul insigniter linguam pungat; oritur autem, quando talis corporis particulæ sunt tetrahedricæ seu instar acuum rigidæ, difficulterque flexiles, & cuspide tereti ac acutâ etiam ex utroque latere scindente præditæ, corporibus autem applicatæ more cunei retro majorem in molem crescentis sese infigant, & sic pungant, scindant & comprimendo nonnihil astrigant, ac propterea foveas, ac incisiones ampliores quàm quodvis aliud sapidum in sensorio relinquant; hoc manifestò in fructibus immaturis cernitur, horum enim partes ideo sunt acidæ, quia succus terrestris, ex quo constant, transiens per poros â solis calore nondum dilatatos ac proinde oblongiores longam acûs figuram aquirant, inde quò fibras linguæ nostræ nervorum gustui inservientium dilacerant aliquatenus, & discerpunt, sicquè ingratiorem in anima sensum proseminant. *Willisius* cæteroquin quoad sua elementa hunc saporem â sale fixo in fluorem evectô deducit; vide, quæ superius de acido protulimus. Acida ut plurimum frigida censentur & vel maximè fixa, acutæ enim & longiores eorum partes ad motum ineptiores circularem, hunc non tantùm non facilè admittunt, sed etiam admodum, teste innumerabili experientia imminuunt, hinc & *Etmüllerus* Med. Hipp. Chym. pag. mihi 67. hæc potestatem habere sal volatile biliosum in sangui-

ſanguine compeſcendi, & in ſalſum temperandi, hincque inductam præternaturalem ſanguinis effervefcentiam edomandi, ſulphurquè rarefactum obtundendi, &c. ſed ad rem

§. VI. Sequitur nunc ſapor auſterus ſtreng â græco αὐστηρος deſumitur ab αὔω ſicco, arefacio, eò quòd auſteritas ſemper ab aliqua ſiccitate proveniat. Gal. lib. 4. Meth. Med. auſterum τὸ στύφον vocat; hic acido affinis eſt, niſi quòd, teſte *Wiliſio* in iis ſeſe exerat corporibus, quorum particulæ ſunt contulis Häcklein & hamulis Aengelein quàm plurimis confertæ, quæ inter maſticandum ſuper ſenſorium revolutæ ipſi infiguntur, fibrasque ejus validè contrahunt, ac convellunt, non aliter ac ſi pectten, quô lanam carminant, pannitònſores & conodatores Strümpffſtricker / Tuchmacher vario hinc inde tractu ſupra manus deduceret, ubi quoad minutias ſal fixum eſt, & ſingulariter cum terreis particulis prædominium ſortitur implicitum.

§. VII. Acerbus tantùm gradu differt ab auſtero, ab acer herb *Græc.* vocat τὸ στύφνον, quia linguam ſtringit ſeu aſtringit, fitquè, ſi cujusdam ſubjecti particulæ etiam hamulis & annulis Häfftlein am Kleid donatæ, ſed hebetes & obtuſæ magis ſunt, quæ quoquè ſenſorium obtundunt, ejusque porulos obſtruunt, atque ipſis ſemel infixæ non facilè dimoventur, unde ſtupor dentibus & palato infertur, velut bardanæ fructus cuti affixus moleſtiæ ſenſum infert, nec tam facilè excutitur, in hoc ſal fluidum materiæ terreſtri intricatur, atque præpollet; uterque vim habet refrigerandi reſiccandi & reſtringendi, ſimulque hæmorrhagiis adverſatur, atque vi ſua ſtyptica ſpiritus exorbitantes cohibet, materiamque tenuem & fluentem incraſſat.

§. VIII. Sapor inſipidus, quem hic §. primò jam obiter tetigimus ungeſchmackt / dicitur aliis fatuus, eò quòd ſaporis potius ſit privatio vel molecularum quies, linguam enim nulla qualitate manifeſta afficit; le *Grand* Inſtit. Phil. part. 7. Art. 14. pag. 730. indè oriri cenſet, quòd corpuſcula ſalina ſaltem explicita tanta non ſuppeditent, quæ humoris operá ingrediantur linguam, ejusque nervos propulſent; Inde omninò tenendum, quòd ſimilium corpuſcula

ſint particulæ ſuperficieculis non omninò aſperis, ſed glabris & lævigatis inſtructæ, quæ ſenſorii porulos non ſubingrediuntur, ipſumquè nullo modo fodicant, aut vellicant, exemplò viſcoſorum gummatum, arabici, tragacanthæ &c. In hac inſipiditate aquæ aut terræ principum abundat, undè & emolliunt & refrigerant.

§. IX. Pinguis ſapor linguam orisque partes lentore quodam oblinit, dum ſalia â pinguibus ita inviſcantur, ut talium rerum particulæ ut plurimum ſphæricæ & globoſæ âliter ſenſorium non vellicent aut pungant, multò minus titillent ſed tantum molli lenique allapſu, ut in olivarum, amygdalarum oleo, butyro, malua, althæa radice liliorum albor. &c. demulceant, inde potentiâ emolliendi, relaxandi, humectandi, leniendi, atque dolores mitigandi gaudent.

§. X. Quis proprie ſit ſapor ſalſus, undeque proveniat fuſius in p. 1. cap. 4. §. 6. enodavimus, intelligimus autem illud, quod enixus dicitur, & meherclè polychreſtam hic ſapor majorem (modò non excedat) quàm ferè inter ſalinos ullus alius præſefert bonitatem; hinc quibus multum dulceſcit os iis ferè phtyſis ſeu ſaltem alius in corpore latet putror exitium minitans; quibus amarities obſidet linguam, hi morbis ex cruditate nidoroſa oriundis ſubjiciuntur, ac facilè febribus corripiuntur; contra ſi acidus linguam afficiat ſapor, eſt quod coagulationes internas ſcyrrhos, cancros metuant &c. adeoque revera multum in receſſu habet; Figura horum ſalium media quaſi eſt inter alcali & acidùm, adeoque non tam potenter fodicat linguam, nec tam profundè penetrat, ut cuivis quodlibet guſtanti per ſe patet. Vim habènt ſingularem ichores fundendi & abſumendi, ſerum & laticem fundendi provocandi, hinc & pituitam incidendi & abſtergendi; multum ſiccant: nec non obſtimulum, quem excitant, ad venerem irritandi, uti & vaccæ halecibus ad citiorem veneris appetitum provocantur; ſic & *Ægyptii* canes ad coitum inertes ſalſamentis ad venerem alacriores reddiderunt: mirum eſt quod refert *Mynſicht*. armament. Med. Chymico ſect. 32. pag. mihi 402. No. 10. ſecretum, ſi clyſteribus etiam fortioribus catar-

catarcticis irritò adhibitis talis calide applicetur clyster ℞. aquæ calidæ libram unam salis culin. com. unciam unam semis aitque hoc remedium nunquam fallere, imò cum fœnore magnam excrementorum copiam secum trahendo semper redire adeoque vis abstersiva enixorum salium etiam exinde nobis elucescit, veluti omnia reliqua similem præstant effectum; Profectò ea est horum prærogativa, ut sæpius longè feliciori effectu quàm alia in usum trahantur medicum, centies experto crede; hinc non tam facilè (cùm quis propriè sapor in corpore peccet, oculis nostris nec pateat, nec etiam intellectu assequi valeamus) impingimus, aut turbas excitamus novas multò minus, malum in deterius præcipitamus malorum barathrum; verbò ea est eminentia, ut omnes œconomiæ nostræ humores temperato-salsi (utut multùm diversificentur) sint, oportet; quare præ omnibus ad hoc salsum attendendum; si tamen præternaliter acrescit, tunc fit præternaturale, & singulariter ad acrimoniam corrigendam respicerere oportet.

§. XII. Acris denique sapor, qui & hunc ab acuo deducunt, neutiquam aberrare â vero videntur, ἄκρον enim Græcorum summum vel extremum denotat, v. gr. turrium, ensium, telarum extremitates sunt acutæ, hinc reverà omnia acria sunt acuta, imò quia acre activitate summa vehementer linguam afficit, sic & analogicè summum & optimum ingenium, mulier extremè malitiosa acris, ein räß Weib/ dicitur, & sic singularem ut pote sæpissimè occurrens meretur locum, dicitur autem ille, qui linguam & partes vicinas pungit, & acredine quadam infestat, atque interdum quasi adurit, prout *Gassendus* & *Willisius* statuunt: talibus corporibus attribuuntur particulæ orbiculatæ, tenues, angulatæ, & incurvæ, hinc tenuibus dividunt & teretibus aculeatisque particulis instar urticarum aculeorum penetrant, & vim possident attenuandi, penetrandi, reserandi fixa & acida talia volatilisandi corrigendi, in motum cogendi, fibrillasque partium (ut in purgantibus resinosis, ptarmicis, euphorbio, quibusdam diureticis & diaphoreticis videre est) irritandi & spiritus nostros irritandi &c. ita etiam ut exalta-

tæ

tæ particulæ acres & ad ſummum gradum evectæ facultatem etiam cauſticam & venenoſam exerant, horum cathalogum *Gieſſvvein* in ſyſtemate Mat. Med. Gal. Chym. p. 39. proponit.

Hæ ſunt principaliores ſaporum differentiæ, & quæ tam quoad naturalia quàm præternaturalia enodanda phænomena vel maximè ſcitu ſunt digniores, nec eſt tamen, quòd non longè plures adhuc exiſtere, negemus; centenæ enim & millenæ cùm molecularum noſtrarum combinationes adhuc dum ſunt poſſibiles, etiam tot dari poſſe ſapores rationi & vero vel maximè eſt conſonum, quos, cùm nemo hucusquè adhuc enarraverit, & nos ſilentii velô eos obtundimus, utpotè quòd tam ad temperies quàm intemperies exponendas ſupra enarratus ſaporum numerus longè ſufficiat, præſertim dum & hos denuo ſuos & quidem multivarios ſortiri *gradus* non tantum grammaticos poſitivum, comparativum & ſuperlativum, ſed & Philoſophos & ultra, plus quàm certum ſit, adeo ut novos in ſcænam ducere ſapores inanis foret labor.



LIBER

LIBER SECUNDUS.

Procemium.

EXplanaturos Nos in parte hac ſecunda ipſam corporis noſtri (quod & multis aliis applicare poteris) temperiem pollicitati fuimus in prologo partis primæ, quod &, ut virum probum decet, promiſſis noſtris ſatisfacturi in ſequentibus præſtare, quantùm vires concedent tenues, ſtudebimus; tu benevole *Lector* aurem porrige arrectam, mentemque rectam, & ſi quæ minus ad tuum guſtum aut veroſimilia propoſuero, crede, errare humanum eſſe, nunquam indecorum tamen, ſi quis hôc modo addiſcere cupit; Rogo itaque te enixè, iterumque rogo, benevolô animô ſuſcipias noſtra, quæ ſimili exaramus, ſcripta; ſterno pandoque viam ad meliora, quæ â quovis alio lubens expecto, interim legem adimpleſſe (dum facio, quæ poſſum) me ſpero.

CAPUT PRIMUM.

De

Temperie naturali, ejus Etymologia, definitione, ac diagnosi.

§. I.

TEmperies (abstrahimus ἀπὸ τῆς μίξεως, hîc enim duntaxat qualitativam intelligimus, nec enim Medicus moleculas seu atomos aut materiam primam curat, sed id duntaxat attendit, quod ex mixtione illarum emergit novum) ideò videtur dici, quòd aliqua res seu corpus naturale ex mixtione resultans eam habeat inter miscibilia moderationem, ut nullum eorum seu excessu, singulari saltem, seu defectu desit, aut superabundet, sed omnia eâ sint in magnitudine, figurâ, ordine ac situ, ut unum quidem omninò novum temperatum eveniat; *Avicenna fen* 1. *l.* 1. *doct.* 3. complexionem nominat, quam æqualem desiderat, ita ut quælibet qualitatum contrariarum (juxta nos miscibilium) in complexionato sint æquales, non superantes nec superatæ; alio nomine & *temperamentum* & crasis appellatur, quæ ultima vox omnium optimè rem explicare videtur, crasis, enim provenit à vocabulo græco κεραννύω seu κεράω, quod significat *misceo* hinc κρᾶσις mixtio propriè dicitur, temperamenta quantitativa, hinc ἀκέραιος sincerus, purus appellatur quasi puritatem quandam de omnibus minutiis corpora componentibus insinuaret, utpote ex adverso δυσκρασία seu ἀκρασία intemperiem seu ægram vel absentem talem moleculárum, institiariam commixtionem dicunt, uti εὐκρασία bonam denotat, ab εὖ bonus, & κρασία, mixtio; inde meritò concludimus, ubique primariò & principaliter ipsam temperiem denotare quandam elementorum corpora naturalia constituentium mixtionem, quæ cuilibet mixto non tam sit conveniens, quàm etiam juxta rationem artis divinæ operetur id, quod à summo rerum & universi *Creatore* agere jussa est, sive dein etiam bene vel malè agat, respectu nominis, parùm nobis refert.

§. II.

§. II. Ex dictis ruit definitio Galenicorum ex *Avicenna* supra citatò desumpta, statuens: complexionem esse qualitatem ex mutua quatuor contrariarum qualitatum primarum actione terminum quendam motumve sortitam resultantem; superiori enim parte primâ C. secundo, abundè hanc de qualitatibus hypothesin refutavimus, priorique §. quid sit, ostendimus, nempe unicè est *æqualis moleculamrum nostrarum in mixtis dispositio*, saltem respectiva, cùm absoluta vix detur; hinc meritò *Marcus Marci* in phil. veteri restituta p. 2. l. 4. p. 133. de hac ait: temperamentum (seu complexionem) non esse qualitatem aliquam primam, *aut harum symmetriam, aut moderatam, mensuram* (σύμμετρος modicè temperatus ex μέτρον mensura) *sed radicalem cujuslibet hominis constitutionem, ex qua veluti effectus procedant dictæ qualitates* (vide & baseos nostræ lib. 1. C. 4. §. 4.) at hæc nunc nobis sufficit, potiùs enim dicit, quid postliminiò inviventibus, quam quid reapse sit; verùm, ut hoc magis in apricum veniat, quid utrumque dicat, mox in assignandis temperierum differentiis apertiùs loquemur.

§. III. Unde ipse status corporum temperatus â nobis cognoscatur, nunc, ut decet, disquirendum venit; certum autem, imò certissimum censeto, quòd, uti â priori nulli omninò sapores hucusque unquam patuère, sic nec ipsæ rerum temperies hoc modó nobis innotescerent, &, si signa â posteriori negligemus, planè noctuâ cœciores in hoc passu erimus, & velut nyctilopi circumcursitabimus, hinc meritò crases ex mixtione quinque nostrarum minutiarum resilientes melius non cognoscimus, quàm si primò quasnam scilicet hinc indè in corporibus edant actiones, quosve producant effectus, consideramus, hinc enim aquam fortem corrosivam, lapidem infernalem causticum, spiritus acidos coagulativos & mille talia judicamus; Inviventibus autem etiam ab actionibus integris quoad temperiem vitalem ipsam conjicimus elementarem; secundò considerandæ inprimis sunt *qualitates* ex mixtione progerminantes, quæ si in nullo excedunt aut deficiunt, nullamque depravationem innuunt, sed ubique moderationem quandam præ se ferunt, tunc etiam

mixtio æqua & temperies requisita adest, hinc & calor & frigus, & humiditas & siccitas, & durities & mollities, & asperitas & lævitas, & raritas & densitas &c. sese comparantur, nullaque harum ullô modô deviet, necesse est; Insuper tertio etiam ab *excretis* aut *retentis* temperies hariolaberis, etenim ipsi mespilli, cydonia, tormentilla astringentis esse naturæ, adeòque temperiem hanc ab ipsis terrestrioribus particulis uberioribus, minoribusque salinis jure meritò deduces, econtra mercurium tenuissimarum etiam partium, resolventium, attenuantium ex ipsa desuper etiam ab externa illinitione inducta salivatione & ptyalismo auguraberis &c. quartò denique nec negligenda est ipsa *ab agendi modo desumpta noxa*, aut *juvamen*: Atque sic in genere habes, quæ de temperierum Diagnosi exspectare potes; plura in ipso contextu hujus materiæ in sequentibus comparebunt.

CAPUT II.

De Temperiei essentia.

§. I.

IN quo hujus essentia & natura unicè consistat, diversa omninò opinio circumfertur; *Carthesiani* in suis ritè congestis & coacervatis elementis tribus eam statuunt; *Chymici* ex mercurii, salis & sulphuris modificatione & justa horum principiorum proportione deducunt &c. *Aristotelici* ex quatuor primarum qualitatum æqua miscela, ut supra jam edocti fuimus, suas derivant temperies; Nos verò, ut jam abundè nobis ex allegatis constat, omnes temperies illam habere naturam & essentiam statuimus, quam ab ea molecularum ad æquam bilancem posita modificatione tam quoad magnitudinem, figuram, situm, quàm motum vel quietem nanciscuntur, ut agant id, quod â summo rerum Creatore agere jussa sunt.

§. II. Ex his non inconcinnè deduces res omnes præsertim medicamentosas juxta suas quibuslibet proprias virtutes in se temperatas, quia agunt, quòd â DEO agere jussæ

sunt,

ſunt, eſſe, ſicque nec piperem calore, nec ſempervivum, aut lactucam, frigore &c. peccare, ſed quòd nonnunquam tales edant effectus, id reſpectu duntaxat ipſorum viventium, in quæ ſuam vim exerunt, tales dici ac nominari, non autem quòd in ſe tales ſortiantur qualitates ſenſibiles, quæ aliunde quàm jam â ſæpe memoratis 4. primariis modis dependent, proveniant, adeoque eſſentia & natura rerum temperatorum ea eſt, quæ â tali molecularum modificatione oritur, ut agant id, quod agere debent, vidit enim DEUS cuncta, quæ creavit, quòd eſſent bona, *Gen.* 1. Inde virtutes operandi rerum omnium tam multiplices ex multiplici minutiarum modificatione proveniunt, ita ut tam diverſæ craſes non aliunde quàam ab hac, ut ſuperius ad nauſeam enucleavimus, derivandæ veniant.

CAPUT III.

De Temperiei differentiis.

§. I.

TEmperies in genere *duplex* Medico conſideranda erit, ſcilicet elementalis, ſeu mixti, & viventis ſeu animati *vitalis qualitativa* nuncupata, qua res actu qualis, talis & talis appellatur; *Elementalis* illa eſt, quæ ex certa quinque minutiarum materialium, corpora ex ſeminum per quatuor primarios modos facta directione componentium habitudine & textura, indeque mutua activitate ad actiones edendas apta conſurgit, *Baſ.* l. 1. C. 4. §. 4. ſupponi hæc debet (reverà enim datur) in omnibus mixtis, etiam in homine & cæteris animantibus, & non in plantis duntaxat, aut in reliquis creatis; cùm enim corpora ex materia eaque diverſa componi neceſſe ſit, neceſſe quodque eſt, eam neceſſariò in illis exiſtere; Temperies enim dicitur portio quæcunque eorum, quæ remanent in mixto ex partibus materialibus componentibus, prout conducit ad formæ mixtæ conſervationem, quia verò non ſolùm conducunt qualitates inde exortæ, prout formam conſervant, ſed etiam materiæ, ſine qui-

bus non poſſent hæ vel illæ qualitates & agendi potentiæ vel produci vel conſervari, ideò etiam materiarum debita & proportionata comixtio datur, vocaturque alio nomine *ſubſtantifica* in ſubſtantiis elementorum proportionatis conſiſtens, ſcilicet eſt *illa congrua partium elementarium materialium mixtio, ut ex iſta poſthac reſultet temperies qualitativa in mixtione congrua pro actionibus propriis uniuscujusque rei*; Eſtque profectò principium conſervativum ipſius qualitativæ, quæ quousque elementaris non immutatur, etiam permanens & fixa eſt, quam primum verò partes hæ elementares vel ab invicem ſeperantur, aut per motum localem translocantur &c. etiam neceſſariò patitur aut omninò deſtruitur ipſa reſiliens qualitativa temperies, ut fit in ligno putreſcente, in partibus gangrænantibus & ſphacelantibus corporum, in lignis accenſis &c.

§. II. Nobis nunc de reſultante ex minutiarum mixtione *qualitativa temperie* potior erit diſcurſus, quæ propriè temperies, ſeu temperamentum, ac alio nomine, craſis rei, appellatur, quemadmodum elementaris potius μίξις nuncupatur; Qualitativam nuncupamus, non quòd qualitatem quandam realem â ſe diſtinctam obtineant talia concreta, ſed quòd ratione hujus, vel illius determinatæ quantitatis, figuræ, partiumque ſitûs, ac certi denique ſuperinducti motûs, vel quietis eos in corpore animali motus excitent, quæ communi voce qualitates, v. gr. frigus, calor, aſperitas, mollities &c. dicuntur; hinc veterum diſtinctionem neutiquam rejicimus, ſed duntaxat aliter explicamus, unde in regno vegetabili piper dicitur calidum, quòd nimium linguam feriat, ſerum fundat, ſitim inferat &c. & ſic de reliquis, eſtque hæc temperies in vegetabilibus propriè rei craſis, ut ſæpius jam tractatum eſt, & de qua jam in hac parte c. 1. diſcurrimus: In homine uti & in animalibus nomen *vitalis* meretur; ineſt ſcilicet in omnibus mixtis ſua determinata craſis in ſemine radicata, & in corpus genitum neceſſitate ſeminali (qua ſemina omnes ſuas energias in productis explicant, & hæ rurſus ea in nova ſemina ad propagandas generationes concentrant propagata, hujus enim mediô corporum

porum tam in specie, quàm individuo mirandæ etiam idiosyncrasiæ seu temperies specificæ per generationem multiplicantur, ex elementis eorumque qualitatibus nullatenus explicandæ, utut primariam craseos seu temperamenti partem constituant: *Vitalis* vis, ut mox de subjecto ejus percipiemus, potissima in sanguine & spiritibus consistit, uti crases vegetabilium in eorum semine & succo: Prout ergo innumera mixtorum varietas est, sic etiam innumera crasium & temperamentorum vitalium erit diversitas: illud ita se habere, jam in parte prima tam de mixtione quàm qualitatibus & saporibus edocti fuimus; & certè prout est *μίξις*, sic etiam radicalis corporum naturalium est crasis, sicque variat tam vegetabilium, quàm mineralium & tandem animalium natura, crasis, & ipsa temperies; varia enim minimarum particularum texturæ modificatiò (cum *geometrica* ista proportio varia quoque inter se sit, & millena) esse potest, sic ubique temperies quædam & diversus sapor temperatus, si non absolutus (quod rarius evenit) & ad pondus seu *arithmeticæ* proportionis, saltem respectivus exsurgere potest, qui status revera ad angustos divisionum cancellos includi se non patitur; hinc alius temperiei status est in siligine, tritico, hordeo, oryza, avena, pomis, pyris, oleribus, lactuca, & millenis aliis; alius in vino ad maturitatem evectô, generosô, veteri, nostrate, malvatico &c. alius neccarensi, acroniano, durrembirrano &c. & sic de omnibus reliquis, ita tamen, ut omne hoc temperamentum, diversimodè tamen esse queat. Pariter hoc modo in homine strictè loquendo, pessimô consilô tam diversa hominum temperamenta etiam vitalia ad quatuor simplicia tantùm, cholericum, pituitosum melancholicũ, sanguineum, aut ad septenarium planetarum, tantum; (nec minimum adhuc dum sufficientem) numerum coarctantur; nec si etiam composita addideris, radium veritatis habet, quippe cùm miscela elementorum nostrorum longè multipliciori viâ contingat, necesse quoque plura emergere debent temperamenta; ni malis dicere, saltem temperamenta modò enarrata cardinalia quasi esse, & suprema quædam genera, ad quæ reliqua, uti & ego in B. mea

etiam

etiam præſtiti, facilè diduci queant, ſed & hoc difficile captu eſt, nec actu abſolutô reali demonſtrabitur; ſapores ex mixtione reſultantes, hasque vel illas temperies & craſes efformantes longè plures quàm 4. ſunt ut hucusque abundè percepimus, ut cuivis rem intimius examinanti, pateſcet, præſertim ſi minutiarum gradus variasque combinationes conſiderabit; examina, amabo, duntaxat numerum quinquenarium 1. 2. 3. 4. 5. tenta horum numerorum transpoſitionem centenam & millenam, & ex ipſo *Democriti* puteo veritatem erues, quod pariter profectò tot diverſos ſapores inde evenientes, totuplices temperies & craſes dari, probat, ita ut verum maneat, longè copioſiorem, quàm hucusque creditum, temperierum cathalogum in rebus creatis inveniri, imò res ipſa, & autopſia & potius ipſe guſtus, ejusque inſtrumentum lingua, diverſa guſtando loquitur; inde meherclè neutiquam miraberis, Medicos Clinicos ratione eruendi ex caſu propoſito morbi de temperamento ægri inveſtigando adeò anxios reddi, ut quaſi inter ſaxa attoniti, quid ſtatuant, hæreant, ut autem vel fucum faciant, vel ſaltem aliqualiter ſe extricent, ecce temperamenta componunt, fitque hîc temperamenti cholerico-ſanguinei, alter cholerico-melancholici &c. & ſic jam nolentes volentes plura quàm quatuor agnoſcunt temperamenta: Ergò, ut nunc ad temperamenta ſeu temperies vitales regrediamur, nobis clarè pateſcit, tot etiam complexiones, craſes & temperamenta geometricæ ſaltem etiam proportionis defacto exiſtere poſſe, aut actu exiſtere, quot ſunt & dantur ſapores, omnes naturales, modò actiones ſuas â ſummo Creatore agere juſſas debite & juxta naturalem rerum curſum expediant.

§. III. De cœtero hominem (in cujus gratiam pleraque hæc ſcribimus) quod concernit, ſcito hujus corpus tum temperatum appellari, quando corpuſcula ſanguinem, nectar illud vivificum conſtituentia, diverſa ſcilicet terreſtria, aquoſa, ſalina, acida vel alcalia, fixa vel volatilia, ac ſulphurea proportionaliter geometricè etiam inter ſe ſunt mixta, ita ut motum æqualem etiam inter ſeefficere queant, quô ſic in omni-

omnibus blanda partibus solidis advenit temperies, homoque inconvenienti temperie existere dicitur, dum iste sic necessariò & signis & etiam reliquorum humorum inde promanantium tam ob æqualem eorum motum, quàm ob nullam qualitatem corporis excedentem vel deficientem nonnisi omninò temperatus sit, oportet, *Bas.* l. 1. c. 2. §. 6. adeò ut & ejus actiones omnino laudabiliter & regularitur peragi queant. Ex diductis hucusque in propatulo est omninò quaternarium (ut jam sæpius memoravimus) temperamentorum Galenicorum absolutè non sufficere, sed potius ad amarum, dulce, salsum, insipidum, austerum, ponticum & 600. talia attendendum esse, uti & pluribus ex discursus serie liquebit.

§. IV. Insuper hic notare velis, magnam adhuc esse latitudinem temperierum differentialem, utpote quôd hæ sint & alterabiles, & mutabiles in homine, diversimodeque & remitti & intendi possint, *minusque* & *magis* recipiant; inde primò considerandа est temperies *ἐμφυσης nativa* â prima mox origine nobis connata, vel â parentibus nobis communicata, hæreditaria, quâ sic varia complexio nobiscum exoritur, ex qua etiam varias animi inclinationes sortimur, vel est ἐπικτήτης seu ascititia, quam ipsimet nobis ex diverso rerum naturalium vel præternaturalium usu, vel consuetudine, aut ætatis mutatione asciscimus; locum habet vel maximè hæc differentia in medicina, videmus enim tota die etiam in statu temperieî naturali, educatione & conversatione maligna etiam optimum quodque ingenium perdi, laudabilissimamque temperiem inverti, & econtra.

§. V. Temperies etiam varia est *quoad ætates*, uti & hoc jam in Bas. n. l. 1. c. 4. §. 4. in fine & lib. 4. cap. 2. ostendimus, etenim quantumvis etiam externus hostis, qui nos concuteret atque lacesseret, abesset, intùs tamen interitus atque senii causam gerimus! hæc nostra nempe est calamitas, quam nulla artium tollere potis est, hinc primo cum infantes & pueri propiùs ad vitæ primordia accedant, eò sunt etiam temperatiores, calidaque & humidâ roscidâ (nisi â parentibus jam infectâ) gaudent temperie, quæ singulariter

ad augmentum, & corporis accretionem requiritur, unde quibus infantibus hæc debilis & exigua contingit, vel brevi fatis cedunt, vel ſaltem nutritionis annos non ſuperant, nec facile ſeptimum attingunt, & econtra, ſi hæc aut à matre vel nutrice ſuperabundat, ita, ut citiùs creſcant & pinqueſcant, malum nobis minatur hoc omen; omnes enim infantes craſſô & obeſiori habitu corporis præditi (lacte conſimili nimis pingui veſcentes) maturè diem ſupremum ſubeunt, ac plerumque epilepſiâ moriuntur, hinc & ingenia præcocia, ante tempus quaſi matura & ſeneſcentia rarò diu vitam protrahunt, daß Kind iſt gar zu geſcheid oder witzig/iſt zu fürchten/ daß es nicht lang lebe. In his enim præſumptio eſt, volatiliores eſſe eorum ſpiritus, & quidem inſtar ſpiritus vini citò accendi, & ſic etiam citò deflagrare: cœterum ſtatus temperiei in hac ætate ad mollitiem quandam, vaporoſitatem, caloremque mitem & blandum tendit, & naturalis eſt, ſed quæ omnia etiam & juventute mutantur, ubi actiones jam magis vegetæ exiſtunt, novi ſuccreſcunt dentes, oſſa magis magis firmantur, acriorque fit calor ipſi etiam manifeſtus tactui, tandemque pubeſcit, ac ad generationis opus apti evadunt. Poſthac magna reverà temperiei ordinariæ exurgit mutatio præſertim in iis, qui venere, baccho, & cerere in corpus ſuum debacchari ſolent, hæc enim ſunt bruta *juvenum* numina, quæ adorant, & quibus ætatem ſuam fœdè conſpurcant, nimirùm his abſolvuntur juventutis peccata, unde & horum maturè conſeneſcit, quaſi ante tempus, calor & temperies nativa, ac ſæpe ſæpius emoritur: hinc & frequentius Juvenes etiam robuſtiſſimi viſi, febribus emoriuntur præſertim malignis; hinc &, quibus in adoleſcentia & Juventute vino, ſpiritu vini, tabaco &c. corpori ſuo vel aliis pravis moribus largius adblandiri volupe eſt, ſuccedente ætate, depauperato calore in dies majori egent, (teſte *Conringio* de habit. corp. vel germ. cauſ. parte 114. & ſeq.) fomento: Inſuper dum *ad ætatem* mediam, conſiſtentem ſeu *virilem* devenimus, ἀκμὴ adeſt hominum, ἀκμὴ corporis, ac ἀκμὴ ſeu flos & vigor animi, aptus laboribus, aptus & bello, officiisque publicis, ni prius aptitudo hæc jam affuerit,

fuerit,

fuerit, supplet enim subinde malitia ætatem, ut moralistæ loquuntur, quia etiam ætatibus specialis sua conceditur latitudo; denique dum *consenescimus*, in statum devolvimur decidentiæ viamque ad mortem inimus propinquius, & inertiores ad munia quælibet evadimus, lanquet etenim vigor animi, calor deficit, frigus externa occupat, spuimus, lacrymamur, tussiculamus, color faciei perit, corpus incurvatur, arent membra & vivum sæpe fimus sceleton. Ingens certè temperiei debitæ & nativæ metamorphosis accidit; habet tamen & ipsa senectus suos gradus, habet & suam latitudinem, ut testatur Baff. n. supra citatis locis; majores qui desiderat ætatum, aliarumque in his, & aliis evenientium mutationes, adeat insignem nostrum Archiatrum Cæsareum *Hollerum de Döblhoff* in tractatu de morbis ætatum tam curioso quam expeditissimo.

§. VI. Insuper ratione *sexûs* ipsius temperierum sat notabilis sæpe, saltem respectiva, est diversitas, si etiam æqualem ætaris gradum consideras, hinc *fœminæ* præ viris communiter frigidiores esse creduntur, cùm & molliores sint animo & corpore, utpote quæ etiam serosiores semper apparent quam viri, hinc & habitus corporis laxior, ut quoque citius adolescant, citius generent, & pubescant, nam juxta *Macrobium* l. 7. saturn. cap. 7. & secundum jura publica 12 mus jam annus pubertatis annum in his definit; humidiores enim cùm sint, etiam more aliorum humidorum citius crescunt; frigidiores tamen viris non sunt quoad temperamentum nativum, dum sæpius puellas ipsis pueris longè vegetiores & activiores esse (unde proverbium illud, **du hättest sollen ein Bub werden**) experimur; frigidiores autem ipsis viris fieri respectu ascititiæ temperaturæ mirũ nobis non videbitur, si earum vitam plerumque sedentariam, & lochiorum fluxus insignes sæpe uteri hæmorrhagias contemplabimur, unde reverà ob ascititiam hanc temperaturam & molliorem seu serosiorem sanguinis statum, licet citius viris irascantur, citiùs tamen rursus, in manifestum impotentis & minùs activi animi signum, reconciliantur: masculinus econtra sexus longè alacrior, vegetior, magisque

activus eſt; ſi hæc non credis, irrita puerum v. gr. 6. annorum adverſus puellam 9. vel 10. annnorum ejuſdem ordinis & educationis ad pugnam, & verum me dicere experieris &c.

§. VII. Non minus notabilis eſt temperiei differentia, quæ â tam diſcrepante in orbe aëris variatione, hinc tam diverſis Climatibus ac regionibus evenit, dum ſcilicet tot ſint diverſa ingenia, &, ut ſolet vulgus loqui, naturæ ac hominum inclinationes, quot exiſtunt diſcordes regiones & Climata. Quæ Regio eximiâ aëris puritate & tenuitate gaudet, in ea quoque elater aëris & conſequenter quoque ſanguinis & ſpirituum longè levior & agilior, eſt, & ſimul utique motus horum vitalium fluidorum, utpote quod & ipſe aër hiſce commiſceatur longè expeditior ac felicior exiſtit, ita ut & inde nonniſi felix temperies in corporibus evenire queat, aër enim in his terræ partibus ob particulas elaſticas motum humorum inteſtinum & maximè vitalem inſuſcitat; Ex adverſo iis in locis, in quibus aër craſſis, humidis vel aqueis ſordibus infectus reperitur, veluti terræ ſeptentrionales & aliæ ad paludes ac ſtagna adjacentes ſunt, corporum talium humores ob aëris gravitatem & fœdum influxum inſignibus conſpurcantur impuritatibus, hinc & neceſſariò elater illorum ſupprimitur, ſpirituaſcentia præpeditur, motus ſufflaminatur, & hinc temperies quoque multum â ſuperiori diverſa, ad lentorem nempe & viſciditatem; atque hinc pituitam inclinans progerminat; ſic craſſus hic aër craſſos quoque generat ſpiritus & Ingenia Bœotica, ut inde etiam ad negotia ineptiora evadant; talis aër craſſus ac gravis præſertim in uliginoſis regionibus maritimis & Inſulis invenitur, ubi cælum ferrè nubilum eſt, & â nimio humore in ejus poris hærente comprimitur atmoſphæra: Hujusmodi aëer non ſolum quibusdam, ut diximus, regionibus familiaris eſt & noxius, ſed & in convallibus ipſis depreſſis (tametſi regio illa cæteroquin tenui gaudeat aëre) & locis umbroſis (eò quòd venti ſalubres montium aut ſylvarum arceantur) easdem ſuprà dictas ſanguini & humoribus plagas inferre aptus eſt, uti veritatem quivis etiam Ruſticus nobis confirmabit.

No. II.

No. II. In Regionibus, quæ directis solis radiis subjacent, præsertim in Australibus benigna omninò est temperies, quemadmodum *Sina* experitur, inde nonnulli ipsum terrestrem Paradysum sub æquinoctiali posuerunt; sic & terræ inter Tropicos, etsi solis orbitæ sint subditæ, teste *Gulielmo Totti* salutares sunt, omniumque rerum ad victum, cultumque, imô & ad voluptatem pertinentium luxuriant.

No. III. Quoad ipsas quatuor mundi partes profectò certum est, *Europam* nostram tam salubri aeris temperie, quàm elementi amœnitate superare reliquas, tam *Africam*, quàm *Asiam* & *Americam*; cùm *Africa* notabili ex parte ideò inculta, nec non sterilibus obducta sit arenis; *Asia* verò multis in locis deserta; at *America* quâ borealis est, frigoris excessu, adeoque pressurâ aeris nimiâ & inamenâ, & quâ Meridionalis calore nimiô (præsertim ubi Zonæ mediæ ignibus aduritur) gravis & molesta sit. In specie ipsa *Germania* iuxta Authores fœcunda est & ferax, cujus autem partes tales. *Pomerania* gaudet temperie nebulosâ, uliginosa; *Megalopolis*, *Holsatia* frigidâ, *Westphalia* exsuccâ; *Helvetia* asperâ, humidâ; *Suntgoia*, *Franconia* salubri; *Hassia* sudâ, molli; *Turingia*, *Saxonia* serenâ, purgatâ, *Silesia* amænâ; *Austria* sicca; *Bavaria* *Suevia*, clarâ & pingui; fœcundâ, *Alsatia* & *Brisgoia*; quibus si addideris æstatem *Hispaniæ*, *Italiæ* ver, Autumnum *Galliæ*, & *Sarmatiæ* hyemem, auræ temperiem Europææ magnam partem exhauseris.

No. IV. Nec hic quoque reticenda est illa temperierum differentia, quæ à quatuor *Anni* temporibus promonat, quanta enim exinde temperamentorum mutatio suboriatur sentiunt & ipsa rudis plebs & Coloni: sed solidius discurramus Ecce omnium primo confirmamus nostrum assertum ipsius *Hypo*. authoritate, Qui 3. *Aph*. 18. ait: per anni tempora, vere quidem, & prima ætate pueri, & qui hos sequuntnr ætate, aptè degunt, & sani sunt maximè; æstate verò, & Autumno usque ad aliquid senes; reliquum & hyeme, qui mediam ætatem colunt: Ex quibus clarissimè edocemur, alias

& alias pro diversis nempè Anni temporibus exurgere temperies, harumque statum multiplicem. In vere, sole nobis viciniore facto, reapertis rursus terræ poris, non solùm hujus viscera, sed etiam reliqua creata omnia turgescentibus particulis spirituosis mirum in modum fæcundantur, hinc omnium animalium sanguis totus spirituosus, volatilis ad tripudia, lætitiam & generationis opus maximè disponitur; aëris Incolæ aves hoc tempore nidificant, & mira cantuum suavitate ac varietate animi suam contèstantur lætitiam, & temperatissimam ex aëre simili haustam naturam deprædicant, â qua lætitia etiam ipsi in frigidis natantes aquis pisces non immunes sunt; verbô, omnia levem prædominari in aëre spiritum, eique elaterem vel maximè æquilibratum & temperatum esse, ex emananti hoc tripudio & animi serenitate testantur; Ipse homo vires ab hyemè attritas colligit, sanguis novum induit vigorem, spiritus in elaterem vegetiorem rediguntur, & vita nostra à puriore magisque elastico aëre in pleno flore constituta â sanguine laudabiliôre magisque vivifico imò & temperatissimo abundat, inde roseus magis color depingit genas, asperum & severum est nihil, omnia temperata, omnia Jocosa, dulcia, succi omnes nobiliores, & spiritu vivaciori plenissimi.

No. V. In æstate (ab æstuando sic dicta) econtra prædominante torridâ Canicula aliam non solùm macrocosmus, sed & microcosmus noster faciem assumit, nec calor amplius suavis & halituosus, sed acer & deprædatorius; verbô, hoc tempus â temperamento transit in calidum & siccum, quam alterationem non solùm omnia subjecta, sed etiam ipsi humores nostri contrahunt, & in sua temperie mirùm læduntur, succi amissâ priori gratiâ & dulcore quasi amaritudinem contrahunt hinc bilis veterum seu amarum Hypoc. tanquam principium oleosum in massa sanguinis exaltatur*, & mediante calore intensiore (qui â spiritu tunc temporis ubique prædominante & sanguinem impetuosè per vasa impellente originem trahit) subtilissimas salium particulas indissolubili nexu sibi unit, unde in Juventute non tantùm spiritus, & ille quidem maturior, & per longiorem caloris

caloris actionem magis digestus, quàm in pueritiâ, sed in principium oleosum copioso sale volatili refertum (quod Galenici vulgò bilem nuncupant) prædominatur, & ex his sanguis aliam induit temperiei & aliarum qualitatum larvam, ex rubicundo mutatur in flavum & variorum morborum calidorum, atque si placet biliosorum fomes efficitur, & sic quod fuit priùs temperatum, existit modò Impetuosum; quod jocosum, serium; suave, fit felleum.

No. VI. Sequitur nunc Autumnus, in quo rursus nova temperiei fit immutatio; dum calor ille solaris paulatim deficere incipit, cujus decedentiam etiam ipsa inanimata experiuntur, unde & ros & pluvia majalis per plures conservantur annos incorrupta, in Autumno tamen collecta mucorem brevi contrahunt; hinc Autumnus (cùm hîc inæqualitas temporum sit maxima, nempè manè frigus sat sensibile urget, â meridie verò radiis solaribus non leviter infestamur) senium omnium rerum & corruptionem promovet, ex quo Corpora ab uno quasi ad alium deducta extremum notabilem patiuntur violentiam, ut canit *Ovidius* de Autumno:

Cùm modò Frigoribus premimur, modò solvimur æstu,
Aere non certô corpora languor habet.

Quapropter paulatim solutô mixtionis vinculô nostræ minutiæ factô inter se divortiô â se invicem discedunt, & notabiliter in temperie immutantur, & hinc (ut statum vegetabilium prætereamus) cruditates cumulantur, homines magis tristes & melancholici evadunt, cùm & sanguis noster ob partium activarum insensibilem recessum acidior, viscosior & magis lentus evadat, hinc & facilis febrium proventus est.

No. VII. Tandem etiam finem imponit temperierum mutationibus Hyems, in qua succi steriles ab externo frigore repercussi ad matricem suam, ex qua emanârunt, nempè terræ profundum sese retrahunt, & omni principiô activô orbatur feriantur; hoc in tempore activum in passivum, calidum in frigidum, mobile in fixum, leve in grave, te-

tenue

nue in craſſum, acidum in inſipidum, paulatinâ mutatione convertitur, cruditates magis coacervantur plurimæ, catarrhique inſenſiſſimi ex magna humorum ſeroſorum colluvie, & inde facta microcoſmi, per glandulas inundatione eveniunt, plerumque autem humores fiunt craſſi, lenti, viſcoſi, frigidi, inſipidi; ecce, quanta non rerum & temperierum in corpore noſtro metamorphoſis! verbô in vere ſanguis in ſtatu naturali eſt temperatior, dulcis, conſiſtentiæ mediocris, nec nimis fixus, nec nimis volatilis, motus ſanguinis nec nimium violentus, nec nimium tardus, maximè autem ad corporis peripheriam tendens, calorque ruber: In æſtate ex aucta fermentatione oleoſum principium exaltatur, rubedo in flavedinem immutatur, ſanguis fit tenuior, magis volatilis, ad concipiendum Incendium habilior, motus augetur, calor intenditur, effluvium per poros amovetur, vires atteruntur. In Autumno, remittente calore ſolis, ſal fixum acidum in ſanguine fluorem potitur, & amaritudo in acorem, flavedo in nigredinem mutatur, ſanguis fit craſſior, fixior, ad coagulationem & grumeſcendiam diſponitur, tranſpiratio imminuitur. Denique in hyeme occluſâ corporis noſtri cruſtâ, inſenſibilis tranſpiratio fere nulla; ſanguis plurimis cruditatibus inundatur, nec non calore, & ſpiritu extremè, depauperatus frigidus, craſſus, glutinoſus ad circulationem ineptior exiſtit; Et hæc ſunt principaliores quoad Anni tempora temperiei mutationes, quæ ſufficiant.

No. VIII. In Conciliandis his vel Illis temperiebus non minimum pondus affert ipſa prima puerorum educatio; quam in rem præclarè Ethnicus *Salomon*, *Seneca L.* 2. *de Ira p. m.* 27. hæc in verba prorumpit: Educatio maximam diligentiam, plurimùmque profuturam deſiderat, facile enim eſt, teneros adhuc animos (temperiem corporum ſequuntur animi mores) componere, difficulter reciduntur vitia, quæ nobiſcum creverunt; & paulò infra ſub *numero* 21. ait: Nihil enim magis iracundos facit, ac educatio mollis & blanda, ideò unicis, quò plùs indulgetur, pupilliſque, quò plus licet, corruptior animus eſt. Si plura deſideras,

ras, ipſum adito ſapientiſſimum Authorem, qui hinc inde innumera in aureis ſuis Ethicis hanc in rem facientia condit, ex quibus meritò conjectura eſſe poteſt, cur videlicet Magnatum & Nobilium proles longè diſcrepantem â ruſticorum &c. natis indolem ac genium ſortiantur, cur minùs ad labores & aſpera ferenda apti, in voluptates verò magis proni: econtra tamen magna ſæpè inde ingenia conſiliis ſapientibus ferendis habiliora progerminent, quæ omnia potiſſimùm â tenerrima ſanguinis conſtitutione & temperie ex victu laudabiliori & puriori (ad quid enim helluones?) orta propulluent.

No. IX. Nec hîc ſubticenda eſt ipſa *Infantis lactatio*, quæ ſi â propria matre inſtituitur, longè feliciùs, quam ſi v. gr. â meretrice peragitur, procedit, character enim, qui â lactante imprimitur, indelebilis poſthac (niſi ſapientiſſima Inſtructorum directione corrigatur) remanet, & cùm naturæ omnium convenientiſſimum ſit, eô nutriri alimentô ut videmus in ipſis irrationabilibus Animantibus, quô nutritus eſt Infans in utero, eoque incrementum ſumpſit, ſic pariter æquabilem magis temperiem contrahet, ſi â parente ipſa lac maternum ſugit, quàm ſi â proſtibulo quodam nil plerumque niſi reducem venerem cogitante lactatur, ut frequentia & tragica exempla multoties teſtantur: ſcopo huic noſtro inſervit, quod inſignis noſter *Chriſt. Franc. Paulinus in Dec. 2. Ephemer. German. in appendice num. 57. p. m. 2.* habet: ubi & Phtyſes, & quartanas lethales, ardentiſſimas febres, ſcorbutum, epilepſiam ac innumera alia mala innocentiſſimis corpuſculis peccatrices nutrices affricaſſe commemorat; ut autem tanta malorum lærna ad thulen usque relegetur, *legem ſcheurlianam* (quam & ipſe *Paulinus in Cynographia curioſa L. 1. C. 3. §. 53.* multorum authoritate illuſtravit & confirmavit) adducit, quæ ſic ſonat: omnis mater ſuô, non emptitio lacte, quos genuit, ſuſtentato: neque ullam vel divitiæ vel natalium ſplendor excipiunto; ſi morbus impediat, auditîs Medicorum ſuffragîis ea de re maritus, Magiſtratusque ſtatuunto, quod ſecus faxit, ignominiâ notator. Hæc ſunt verba non mea, ſed inſignis Medici,

& etiam exemplis confirmata ; adderem & ego plura, ni sequiori sexui nonnunquam quid (utpote quæ â lactatione maturiores in facie rugas & plicaturas, minusque inde marito sic amori futuram metuit) deferendum esset, cujus etiam gratiam malui hucusque mihi reconciliare, quàm odium contrahere, præsertim cùm, quamvis *Salomon* forem, nonnisi Æthiopem lavarem.

§. VIII. Quemadmodum autem numerosa satis, imò ingens individuorum datur differentia, sic & notabilis valde ac frequens in quolibet Individuo existit in humoribus temperiei varietas, ita ut si & consistentia & colore & odore ac gustu plurimum (quanquam ex eodem fonte purpureâ nempe massâ omnia hæc oriantur fluida) discrepent, omnes tamen in se considerati (intellige in statu naturali) temperati sunt, puta bilis, succus pancreaticus, saliva, liquor gastricus, & intestinorum, urina, semen, lac &c. omnes scilicet hi humores, quousque actiones in corpore non lædunt, suâ gaudent, licet differenti & latâ temperie; quemadmodum & omnes herbæ, ac fructus quivis suam præseferunt, etsi in immensum discrepent, temperiem; sic bilis, ut non tam in nostra *Bas. Med. Lib.* 1. *C.* 5. §. 21. quàm in *disceptatione nostra Med. de Bilec.* 1. *physiol.* §. 2. dedimus) est *liquor* (utilis quidem, at nullatenus excrementitius) balsamicus, salino-sulphureus (potissima ex parte) ipsius sanguinis flavus & amarus, in hepate mediantibus glandulis exiguis ad certos usus segregatus, formamque hanc bilis ibidem induens: explico *sulphurea* est, ideo effectu calida, & hinc balsamica *bilis*, consequenter etiam oleosa, hinc ex retorta destillata prodibat paulò post pars volatilior spirituosior nonnihil, veluti aquarum oleis destillatis v.g. turgidarum anisi spiritus sal. armoniaci anisati more, lactescens, ubi simul oleum fætidum balsamo de peru aut oleo tartari fætido inflammabili ac sulphureo simile: *salina* etiam est, si etenim lenius destilletur ex retorta, hujus parietibus salinum & durum adhæret, ejus cum sale succini volatili prosapiæ, alia salina etiam pars copiosa satis ex capite mortuo eruitur, quæ Alcalicæ, more omnium cinereorum salium indolis est, licet

in

in volatili hujus urinosa natura (veluti in omnibus salibus volatilibus oleosis accidit) occultetur; Verbô bilem salinam esse probat amarus ejus sapor, probant jam enarrata, probat & usus; nec tamen solius alcalici est genii, sed etiam acidi, quamvis satis oleosis ocultetur, latet autem hoc potissimùm in oleo ejus fœtido per retortam destillato. Habere insuper partes aqueas patet tam ex liquiditate, quàm etiam copioso ex phlegmate per destillationem ubertim prodeunte. Denique ipsas partes terreas luculenter demonstrat caput mortuum, demonstrat & coagulatio &c. deinde liquor est ipsius sanguinis materialiter, non autem formaliter: formam enim bilis primò tum induit, cùm in acinis glandulosis in hepate secernitur, nam tametsi bilis quantitate eâdem, id est, omnes particulæ eandem constituentes, quæ quotidie excernuntur, reverà massæ sanguineæ innatarint, nondum tamen bilem constituerunt, qualis postea in suis ductibus excretoriis & receptaculis apparet, videlicet particulæ biliosæ non ita contiguæ, aut omninò hoc modo modificatæ, sanguini insunt, sed dispersæ, sicque materialiter tantùm, non formaliter ideò & bilis tanquam humor specialis sanguinem non constituit, quod rursus *in mea disceptatione medica de bile Constantiæ* Anno 1698. *habita* C. 1. §. 8. uberius declaravi, flavus ibitem est liquor, licet concentratè, sed affunde quidpiam de fontana, & mox manifestam flavedinem conspicies; Amarus quoque gustu deprehenditur: *consistentia* ejus media sit inter tenuem & crassam, & sit quasi mustum generosum, aut paulò dilutius oleum expressum; *Quantitas* multum variat, & licet notabilis sit propter continuum ad intestina effluxum, absolute determinari non potest: adolescentes & Viri magis quàm pueri, & senes eâ luxuriant, uberior quoque est proventus æstate, quàm hyeme; *Pechlinus Exercit. de Purg.* notavit, bilem sat copiosam in duodenum effundi, ita ut brevi tempore aliquot unciæ, colligi potuerint.

§. IX. Accedimus nunc ad *liquorem Pancreaticum* (per ductum singularem ex pancreate ipsi duodeno insertum) affluentem, qui revera & ipse temperatus & lymphaticus est,

definiatur, quòd *latex sit roscidus viscidiusculus* oleoso subsalsus, ac volatilis, chyli per pylorum devoluti novum perfectivum eundem penitus diluens, perficiens, ac in succum alibilem convertens &c. adeò ut revera & hîc, quamvis sub alia mixtura quinque nostris constet minutiis, & suam nanciscatur temperiem, & quia in ea hucusque quantitate obtineri nequivit, ut analysi chymicæ subjici potuisset, ideo & ego ulterius non progredior, plura, qui affectat, consulat solertissimi *Brunneri* doctissimam Diatribem de *lympha, & usu pancreatis. C.* 9. p. 115.

§. X. *Saliva* pariter & illa inter suos temperiei cancellos detinetur, est enim juxta *Basin. Lib.* 1. *C.* 5. §. 5. per se humor tenuis, aquosus, pellucidus, subsalsus, ac parum viscidus, oleosis tamen particulis nequaquam orbus; discrepantem quoque ab aliis mixturam suo tamen in genere temperatam sortitur: videtur autem â sale nomen desumsisse, ideo quod salis magnâ abundet copia chylo & sanguini communicandâ, relinquit enim destillata in fundo salino acidum sedimentum licet in minori copia, quod subinde acrescit, & gustando linguam ferit, hinc & cibos incidit, penetrat, digerit, solvit, abstergit, hinc multi, hanc de natura menstrui universalis participare contendunt, nec tamen ramosæ temperatæ ac molles oleosæ ac gelatinosæ excluduntur, hinc fere insipida est, nullamque luctam cum salibus aliis simplicibus subit, sed quævis facilè admittit, de qua *Steno* & *Nukius* legi merentur; Verbô concretum singulare licet sit saliva, atque ab omnibus aliis fere discrepet, inest tamen & ipsi certa sua temperies: quod itidem de liquore gastrico ventriculi & intestinorum statuendum est.

§. XI. Quid de *semine* (de quo experimenta facere, & sacer codex & honestas vetat) dicam, nescio, pauca; *liquor* est *masculus, lentus & glutinosus, atque ex conclusis tenuibus agilibus & elasticis corpusculis seu* spiritibus constans, *facile spumescens, etiam salinus*, hinc ad oestrum venereum excitat, in se tamen temperatissimus, oleosus, quod & ratio postulat.

§. XII.

§. XII. Tandem & aliquid de *lacte* memorandum adhuc nobis restat, utpote quod & hoc insignem usum præstet; Hoc pingue & oleosum esse, vel ipsa docet ejusdem dulcedo; cæterum lac lympha est pinguior, ipseque chylus una cum sanguine per communes arteriarum vias & ratum statumque illius circulum pulsu cordis ad mammas propulsum; Interea concretum etiam salinum esse docet ipsa spontanea resolutio, quâ cremor seu pars butyracea supremam occupat partem, reliqua fundum petit & medium tenet; sileo de urina &c. utpote quæ per se analysi chymica patent, adeò ut verum, diversa & in homine exstare creata, universa in suo genere temperata, licèt diversissimô modô, & ratione.

§. XIII. Omnibus his tamen palmam præripit nectar illud hominis vivificum, utpote qui & tot & tam eminentibus prærogativis gaudet, ut sacer codex in eo vitam consistere asseveret, quatenus nempè & in & extrinsecè velut æquilibrata irrequies in continuo versatur motu, eoque temperato, in quo perfecta temperies, & inde â fluidis exorta sanitas consistit, quemadmodum mors nil nisi destructus motus est; percipe nunc constitutionem ejus naturalem: primo sanguis est liquor seu fluidum aliquod, quo videlicet omnes corporis partes mediante motu suô circulatoriô (quem omninò individui conservatio exigit) eò feliciùs permeare, vivificare & nutrire queat, hunc in finem solers natura serum aliquod ceu vehiculum adjunxit. Secundò ut sit colore rubicundus, quô vivacitatem & exaltationem partium spirituosarum nobis indigitet, quæ rubedo sanè nec nimis diluta, nec tamen nimis florida esse debet, sed quasi purpurascens, consistitque materialiter ex aëris in pulmones allapsi accendentis, & chyli salium volatilium cum oleosis particulis intima penetratione & exacta subactione. Tertiò ut sit volatilis salinus, quam substantiam analysis per spiritum urinosum & salvolatile inde prolectum in chymicis operationibus abunde testatur: Quartò necesse est, ut sit oleosus & sulphureus, hinc exsiccatus tam promptè ardet, & sanè oleosus temperatissimus existit, si â chylo tali suffulcitur,

citur, inde eſt, quod, cum ſalia â ſulphure blando & rorido, inhamantur, ſanguis ſapore dulci temperatiſſimô ſuperbiat, nec ſingularem etiam ſpiret odorem, utpote quia ejus mixtura eſt exactiſſima, ex quibus ſingulis etiam una cum aëre ſuam raritatem, fluiditatem nanciſcitur, ubi tamen & aqueæ & aëre partes non excluduntur, verùm tanquam minùs potentes reticentur: quinto eſt etiam gelatinoſus conſiſtentia mediocri, nec tenui, nec craſſâ, parte enim hac corpori nutrimentum præbere tenetur: ſexto in ſtatu naturali quoque in venis vel arteriis vel corde contineri neceſſe eſt: ſeptimo Generatio etiam ejus ex ipſo chylo provenire debet, qui ſi omni numero abſolutus eſt, totus in ſanguinem mediante motu inteſtino ſeu fermentativô blandô (quo particulæ aliæ volatiliſantur, aliæ figuntur, quædam ſeparantur, nonnullæ combinantur &c.) non animam violento chymico converti aptus eſt. Ex quibus omnibus luce meridiana clarius fit, ſanguinem per ſe tantum perfectionis apicem adeptum, non poſſe non eſſe liquorem in corpore omnium nobiliſſimum & præcioſiſſimum vitæ theſaurum, cùm ſit & dulce ſpirituum levamen & ſolamen ſine quo omnia marceſcunt membra, ſi tamen etiam præter alias conditiones in ſuo debito manet ſitu, ut modo meminimus. Sanguis cæteroquin dulcis eſt, hinc ratione figuræ, ſitusque partium â ſolertiſſimo *Malpigio* & aliis ope microſcopii obſervatus eſt, mixtum quidem eſſe ex ſubtiliſſimis fibris (etiam in grumefacto conſpiciundis) & meris globulis, qui inteſtino irrequietoque motu in omnem poſitionem ſe movent. Et planè nec alia, quam globoſa hæc figura hic locum ſortiri potuit, utpote quæ & ad perficiendum motum, & dulcedinem conciliandam, temperiemque exaltandam omnium eſt aptiſſima. Quô autem magis nobilis & circulationi aptior exiſtat, ſagaciſſima providit natura, ut & ſanguini κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dicto, ſeu ſubſtantiæ ramoſæ, fibroſæ, rubicunda ſemper cohæreret ſerum ſeu latex quidam aquoſus magis flexibilibus, mollibus, gelatinoſis, & particulis ſalinis præditus, ſicque hic ſingulare eidem ſubminiſtraret vehiculum, ex quo ſanè (utpote colorum omnium,
ve-

vehit enim secum salia dissoluta, vel maximè receptivum sit) ut plurimùm non solùm sanguinis, sed etiam viscerum secernentium constitutio, vel maximè sæpè desumi valet: Hinc duas potissimum sanguini astruunt substantias, seu partes, unam lymphaticam, alteram vere sanguineam: si plura expetis, per Ignem experimentare, & videbis spiritum volatilem, sal item volatile, oleum fœtidum ardens, phlegma aquosum, & terram seu caput mortuum; adeò ut nec de nostris quinque minutiis in eodem absconditis, nec de temperie absoluta dubium supersit, eam tamen inter se sortiuntur modificationem (veluti etiam ex ejus dulcedine manifestatur) ut mehercle jure meritò omnibus aliis humoribus sua temperie, si expetitos naturæ limites non transgreditur, antecellat.

CAPUT IV.

De

Subjecto Temperiei.

UT in Cap. prægresso duplicem statuimus in homine temperiem, sic profectò etiam *duplex* assignemus *subjectum temperiei* necesse est, *unum* quidem constituunt ipsa corpora ex seminum per quatuor primarios modos juxta leges naturæ â cretore inditas facta directione componenda multiplicia, & hinc quemadmodum innumerè talis modificatio minutiarum juxta voluntatem divinam variat, sic & innumera quoque crasis seu temperies qualitativa exoritur, & sicut prior penes physicum, quia λόγῳ θεωρητικὴ est, manet, sic posterior, cùm in sensus incurrat, propriè Medico consideranda est, veteres *Galeni* Asseclæ hujus temperanti ὕπαρξιν in partium solidarum & humorum congenerantium, id est eorum, qui sunt in semine, ratione, non autem genitorum humorum, qui sunt in massa sanguinis consistere affirmabant, *Henricus Ultrajectanus in suis Instit. Med. Lib. 2. Cap. 1.* de temper. pag. m. 21. statuerunt autem insuper, quòd quæque pars ingenitum sibi temperamentum habeat, ex quibus partibus

tibus rectè dimensis seorsimque æstimatis, & tandem in commune relatis, quâ temperie totus donatus sit homo, explanare possimus, *idem C. 4. p. 21.* Ex quibus Juremeritò concludemus, omnis temperiei subjectum unicè partes agnovisse solidas, fluidasque excludisse, hinc in iis & calidum quoddam innatum statuerunt, vocarunt hoc ἔμφυτον, cui accedit alterum σύμφυτον seu connatum; illud appellarunt calorem formalem in corde stabulantem, indeque in totum corpus divisum. Secundum verò intitularunt materialem in universis partibus ab elementis calidis nidulantem, â quo & temperamentum proprium (sicuti ibi commune) exoritur, ajuntque in homine tantùm formalem, superstite materiali, perire, hunc verò nonnisi tandem per putredinem dissolvi. Qua de re uberius prænominatus Author, *Caspar Hoffmann*; & omnes alii consuli poterunt: probabilitate sua non carere hanc sententiam prima fronte cuivis ferme videri posset, utpote quòd & ad totius compositi, & ad cujuslibet partis integritatem (ut actiones inde juxta leges summi *Creatoris* ritè & perfectè subsequi valeant) temperies conveniens ejusdem necessariò requiratur, ita ut sine hac omnino hujus agendi facultas langueat, atque si omnimodè deficiat illa, pars ipsa emoriatur necesse sit: hinc & ex convenienti Veterum Doctrinâ promanavit etiam adeò decantata illa *viscerum antipraxia*, hepatis calida, frigidaque ventriculi; observamus insuper sperma præ sanguine frigidius, hepar præ cerebro fervidius, bilem præ succo pancreatico acriorem, tendines & nervos præ partibus carnosis frigidiores, & si quæ centena alia esse queunt, quare plausibilis omninò apparet doctrina illa, quæ & cuivis parti propriam etiam temperiem assignare studet, solidasque sic subjectum unicum inhæsionis temperamentorum asseverat, pars enim quæque v. gr. pes, manus &c. illa est, quæ ad tactum calida, frigida humida &c. sentitur. Verùm moram gere, solertissima cæteroquin & omni ævo veneranda antiquitas, indulgeque ut pace tua aliud sentiam, candideque contrarium in scœnam producam & statuam, *omnis temperiei fundamentum & subjectum â quo esse ipsas partes fluidas*, præsertim sanguinem,
&

& impetum facientes seu spiritus: ne autem â vero me aberrare tramite, aut ψευδολόγον esse existimes, probam adverte, quæ tibi in hujus veritatem & δοκιμασίαν affero: Inprimis ab ovo exordiar; unde, amabo, est temperatissimum illud tuum calidum innatum? dices forte cum *Casparo Hoffman* ex ejus epitome *Inst. Medic. Lib.* 2. *C.* 131. ex semine tanquam corpore ipsis Elementis nobiliore, proportioneque ipsi quinto Elemento Aristotelico respondente profluere; At aberras profectò multùm â meta, si enim masculinum calidi tui authorem, ut probabile est, intelligis, ecce totam neotericorum Anatomicorum cohortem adversam habes, qui fere unicè spiritui masculi (non crasso seminis liquamini, nec enim ex utriusque seminis miscela homo aut animal procreatur) tanquam soli lucenti ovumque muliebre vivificanti punctumque in hoc saliens vi sua elastica resuscitanti opus formationis attribuunt, & quomodo, quæso, hæc atoma flammula in ætates subsisteret & sufficeret; si refers sustentari ab influa, tum regero, unde hæc promanat? sanè non â parte quadam solida, nec enim unquam eandem determinare poteris, ergò â parte fluida, adeoque subjectum ejusdem temperati nunquam erit pars solida: si vero sperma fœmininum originem calori tuo formali seu vitæ byolichnio dare asseverabis, minus revera adhuc opinionem tuam evinces, quæ enim quæso pars est illa ovi muliebris, quæ fœcunda est, & quæ generationem efficit? minima mehercle, imò fere exucca cæteroquin, tantum solida rudimenta illa fœtus futuri duntaxat exhibens, nutrimentumque suum unice â reliquo ovi corpore suscipiens, donec tandem â materno sanguine incrementum suscipiat; ergò rursus â fluido emanat; deinde spiritus ille maris adeò volatilis est, & etiam, quia materialis, alterationibus obnoxius, ut nec vaporem veritatis de se ferat, quod subinde in secula, non dicam tantum in unam aut alteram ætatem perdurare posset, plura ex suis causis reticeo, hæc sufficiant; Quid verò de hoc calido sentiendum, sistet tibi *Basis* etiam *Lib.* 1. *C.* 4. §. 5. ubi, nil nisi sanguinem esse in suo continuo motu intestino constitutum reperies: Cæterum inficias

ire nemo poterit, & totum compositum, & quamlibet partem ad functiones suas ritè obeundas requirere certam particularum vitalem crasin, quæ eisdem denegari, sed & iisdem appropriari (ita ut ibidem exurgat aut niduletur) nunquam poterit, omnem enim quamcunque sortiuntur temperiem â sanguine easdem retinere, quis Medicorum moderno tempore est, qui id non luce meridiana clarius perspiciat; amputa manum, hæc profusô omni vitali sanguinis liquore mox pallescet, ac frigescet, non ita cætera adhuc corpori adnata pars; Elimina quocunque tandem modo sanguinem omnem ex corpore, ecce! quantus pallor, & quantum frigus universale non occupat corpus! Altera & refrigera sanguinem, & æstum dispesces; adauge econtra liquoris hujus rosei motus, ecce mox intendetur partium calor, imò & accendetur ac in inflammationem abit; exicca tantùm seu particulas acres induc, ecce mox totus exuccus fit habitus, mollitiesque in asperitatem convertitur; adeoque quidquid habent partes solidæ, habent hoc & sustentantur â sanguine & spiritibus illius sociis individuis, consequenter & hi liquores unicè subjectum omnis temperiei constituunt: Quod verò unus liquor aut pars præ altera magis caleat, aut minùs de hoc participet, requisivit hoc corporis efformatio ad munia sua ritè obeunda, nec est tamen, quòd quævis horum aut harum propriam nanciscantur temperaturam, ejus enim sunt constitutionis, ut una pars præ altera magis irrigetur sanguine, spiritibusque vitalibus foveatur, sicque hoc provenit ratione recipientis, non autem foventis aut contribuentis.

CAPUT V.

De Causis Temperiei.

DE his altum silent, quantùm quidem hucusque mihi penetrare licuit, & videre datum fuit, silentium Authores, nos brevibus hisce negotium, quousque saltem vires nostræ tenues sese extendunt, extricamus: Quoad *temperiem*

Elemen-

Elementarem, planè nullam aliam præter ipſum ſapientiſſimum rerum omnium *Creatorem DEUM* agnoſcimús cauſam, hic enim ille ſolus eſt, qui mixtiones corporum hôc, illô, vel aliô modô evenire unicô verbô *fiat* juſſit, qui minutias ad Omnipotentiam mundo manifeſtandam ita diſpoſuit, ut non centeni & milleni tantùm numeri, ſed & myriades variorum corporum exurgerent, ac ab *ejus* nutu in finem mundi usque perſeverarent; nec enim plaſtica quædam, ſeu potius phantaſtica facultas tam innumera, & in figura, & in ſitu, partium magnitudine, ac motu, vel quiete, ac modo operandi diſcrepantia corpora efformare potis fuiſſet; Manet ergò inconcuſſum, ſolum ipſum *numen* omnipotentiſſimum temperiei Elementaris cauſam aſſignari & poſſe & debere, nec naturam ulla ratione id agere, niſi quatenus operatur id, quod â *Deo* operari juſſa eſt: Nec dicat mihi naſutulus Philoſophus, abſurdum eſſe ad cauſam primam recurrere, qui tamen hîc minus cauſam ſecundam aſſignare ſciet; quàm norit aſinus ad lyram ſaltare: quaſi verò *Deus* ſibi non plurima reſervaſſet, quæ mundo usque dum abſcondita manebunt: *Ille* eſt, qui eſſentias rerum condit & conſervat, ac per ſemina propagat. Quis enim, quæſo, herbam abſinthio ſimilem per generationem (creare enim cùm ſolius *Creatoris* ſit, creaturæ impoſſibile) quandam producet; excogitetur etiam quidam ſpiritus intùs latens corporum formator, ſanè tametſi vim elaſticam ad opus contribuat, hanc vel illam tamen mixtionem minutiarum in æviternum ipſemet non efficiet: Concludo ergò, temperiem elementarem ab uno perfectiſſimo Ente, *DEO*, procedere.

Aggredimur nunc cauſas ipſius *temperiei* vitalis ſeu craſeos ex mixtione Elementorum noſtrorum reſultantis inveſtigare, ſicque intimiùs, quantùm Medicum ſpectat, in ejus cauſas & origines inquirere, & quidem primò ipſam cauſam formalem quod concernit, in plano eſt hanc nonniſi certam eſſe minutiarum tam in quantitate quàm qualitate, ordine, ſitu, figurâ, motu vel quiete in variis concretis exiſtentium modificationem, ac poſitionem, & hæc

revera determinat hoc vel illud mixtum etiam ad hanc vel illam operationem, ita ut quidquid postea compositum agit, nonnisi ab hoc principio tanquam sua forma profluat, nil etenim in natura rerum est excogitabile, quod non in ordine nostrarum molecularum juxta supra memoratos modos variè dispositum suum præstat, quod præstat; sic sal culinarium, utpote enixum, acrimoniam præ se fert salinam, & licet copiosas possideat particulas acidas ex variis distillationibus proliciendas, attamen attemperatæ sunt alcalibus, ita ut tertium salsum constituant, sic sanguis in motu auctus incalescit, sic aqua in hyeme nimis compressa in motu suo undulationis cessans congelascit; sic cera igni in vase apposita prius compacta, dum sic aër in poris expanditur, rarescit, majusque quam prius in eo occupat spatium, atque ita de omnibus aliis.

Quoad causam materialem, hanc unicè (cùm temperamentum arithmeticum seu ad pondus non detur) â prædominante hac vel illa minutiâ certô modô sitâ, figuratâ, ac motâ vel quiescente desumo, unde piper, calefacit, sempervivum refrigerat, camphora ardet &c. In homine, si sanguis plus de sale volatili oleoso participiat, calor magis exuperat, pulsus erit vehementior &c. ubi partes dulces temperatæ chylosæ caput erigunt, blandiora sunt omnia, & sic de reliquis, ita ut nil in rerum natura inveniri queat, quod non hisce moleculis dominium sortientibus in agendo in acceptis sit ferendum: Ex quibus liquet ipsas nastras quinque moleculas variam & tam multiplicem causare & producere temperiem tam in rebus creatis aliis quam singulariter in homine.

Ordo nunc exigeret, ut quoque causas proigumenas & procatarcticas in medium proferremus, quia verò facilè quivis Doctorum eas ex Cap. 3. hujus part. (ubi de differentiis temperiei ratione ætatis, Clymatum, Anni temporum, sex rerum nonnaturalium &c. fusè discurrebamus) huc applicare norit, ideò & filum de temperiebus abrumpimus, procedimusque ad p. 3.

LIBER TERTIUS.

De *Intemperato Hippocratico.*

Prolegomenon.

§. I.

Πολύλογος fere hucusque in exenteranda temperierum naturâ & conditione, harumque causis, ut non diffiteamur, extitimus, attamen, quemadmodum materia hæc meritò inter desiderata Medicinæ ad hæc usque tempora numerari potuit, culpam neutiquam nos mereri, sed potiùs benevolum Lectorem æqui bonique laborem hunc (ut spero, non vanum) æstimaturum confido; Quô majoris enim res hæc est considerationis, futuræque utilitatis, eò etiam exactiori opus habet indagine, quô nempe faciliori calamô ipsum exploremus funditus *Intemperatum*: sed accingamur ad opus.

§. II. Edocti in præcedentibus partibus abundè fuimus, *duplicem* mixtis inesse *temperiem*; unam elementarem ex geometrica quinque nostrarum minutiarum proportione conflatam, quâ radicalis & specifica cujusque mixti crasis in salinis & sulphureis spatiis singulariter fundata posthac exurgit; Vitalem alteram præprimis in sanguine & spiritibus radicatam; Interea quia Medicus temperiem illam elementarem (nonnisi ad certam elemementorum determinationem) considerat, ideoque ad nostrum scopum de solo vitali, veluti qualitativa imposterum nobis sermo miscebitur, utpote quòd vel maximè inde Intemperatum eveniat: Intemperatum autem nominamus omne id, quod qualemcunque vel defectum, vel excessum (aut etiam depravationem quamcunque aliam) præsertim frigoris aut caloris &c. aut tandem etiam alterius qualitatis, unde actiones læduntur aut morbi exurgunt, importat: Dixi ly vel defectum, vel excessum caloris, frigoris &c. & bene, confor-

mis eſt enim hæc Doctrina ipſi divino noſtro *Coo*, qui ſolum calorem & frigus conſequens aliquod intemperati ipſius, adeoque nullatenus morbum qui actiones lædat, agnoſcit, affert enim ille in aureo libello de priſca ſeu veteri Medicina juxta editionem *Joan. Ant.* **von der Linden** ſequentia cedro digniſſima effata & oracula, nempe: nihil igitur utilius, neque magis neceſſarium, quàm hæc cognoviſſe, quod & probe & convenienti ratiocinatione inveſtigantes juxta hominis naturam hæc primi inventores invenerunt, judicaveruntque, artem dignam, quæ *DEO* aſcriberetur, quemadmodum etiam eſt receptum; Non enim ſiccum, neque humidum, neque calidum neque frigidum, neque aliud quidquam ex his putaverunt hominem lædere, neque aliquo horum homini opus eſſe, opinati ſunt, ſed quod in unoquoque forte & humanâ naturâ potentius eſt, quodque non poſſit ſuperari, hoc ipſum lædere duxerunt, & hoc auferre quæſierunt; fortiſſimum autem eſt inter dulcia dulciſſimum, inter amara amariſſimum, inter acida acidiſſimum, & in omnibus adeò rebus vigor ac ſummum: hæc enim & in homine eſſe viderunt, & hominem lædere; ineſt enim & in homine & amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum & acerbum, & fluidum, & alia infinita, omnigenas facultates habentia, copiamque & robur; atque hæc quidem mixta, ac inter ſe temperata, nec conſpicua ſunt, nec hominem lædunt, ubi verò quid horum ſecretum fuerit, atque ipſum in ipſo fuerit, tunc & conſpicuum eſt, & hominem lædit. Ubi clariſſimè Senex Intemperatum, quod hominem lædit, non in calido, ſicco, ſed in acido, ſalſo, acerbo, amaro &c. conſiſtere (quibus ſanitatis ſtatus debelletur) demonſtrat; imò dum tractatulum ſuum inchoavit, rem hanc diſſertis his verbis expreſſit, inquiens: Quicunque de Medicina dicere aut ſcribere aggreſſi ſunt, hi dicendi ſcopum ac fundamentum ſibi ipſis ſuppoſuerunt, calidum aut frigidum, aut humidum aut ſiccum, aut aliud quodcunque voluerint, rem in compendium contrahentes, principium cauſæ tum morborum, tum mortis hominibus idem, unum aut duo proponentes, hi in multis quidē, quæ

dicunt,

dicunt, manifestè erràsse deprehenduntur. Hic S. 27. N. 3. ejusdem libri in proposita materia pergit ita : Frigiditatem, & caliditatem ego omnium facultatum minime potentes esse in corpore existimo, addit insuper ille tum in homine tum extra hominem, sive edantur, sive bibantur, sive forinsecus illinantur, & quomodocunque formata adhibeantur. Ex quibus sanè totam de *Intemperato Hippocratico* pathalogiam in sequentibus haurire poterimus: Ne tamen tibi nomen hoc *Intemperati* peregrinum videatur, scias velim, sub hoc communiter hucusque venditatum fuisse vocabulum cacochymiæ, quæ imposterum nobis synonyma erunt, coincidunt enim ex toto ut ovum ovo est simile, ne tamen de hoc acturi crambem non tantum bis, sed centies recoquere velle videamur, monendum omninò Lectorem censuimus, verbum hoc quidem etiam ipsis lippis & tonsoribus, qui usque quaque dum perversè & sinistrè curant, huncque affectum eine Ungesundheit in dem Leib (labem internam intelligunt) incusant notissimum esse, adeò etiam, ut hæc materia tota jamiam exhausta, atque in arte nostra omnibus numeris absoluta, apparere queat; ast *benevole Lector*, ut spero non indignaberis, si audacter edissero, cacochymiam rem esse, & affectum nomine quidem vulgatissimum, re verò ipsâ intricatissimum: lege Authores seu veteres seu recentiores, qui, quæso, sunt, qui ex instituto quidpiam in praxi de hoc tradiderunt? nonne contenti videntur, parva quædam de illa in Institutione Med. prælibasse? nimirum vitium humorum in quali vocari Cacochymiam, hancque esse quatruplicem &c. quis enim ejusdem assignavit Diagnosin? quis veras eruit causas? quis genuinam hasce curandi (nisi forte, quòd alterandum & purgandum sit) effodit è limpido puteo Medico methodum? &c. Ingemui profectò sæpius, nos in re tanti momenti (â qua scilicet omnes corporis nostri intemperies, morbi chronici, imò fere ex parte omnes febres explicandæ veniunt) adeò vel socordes, vel negligentes esse, ut in materia tanti momenti adeò caligemus, imò cæcutiamus; quapropter, ut glaciem saltem frangam, viamque ad ulteriorem disquisitio-

cionem, disquisitique majorem perfectionem sternam, placet omnium primò in nominis etymon inquirere.

CAPUT I.

De
Etymologia Intemperati Hippocratici, seu Cacochymiæ.

Conquestus est olim sapientissimus *Seneca* in *Epist.* 45. *ad Lucilium* pag. m. 457. magnis sæpe Viris multum temporis verborum cavillationem eripuisse, & captiosas Disputationes, quæ acumen irritum exercent; nectimus, ait, nodos & ambiguam significatjonem verbis alligamus, deinde dissolvimus, tantùm nobis vacat? jam vivere jam mori scimus tota illò mente pergendum est, ubi provideri debet, ne res nos, non verba decipiant; quid mihi vocum similitudines distinguis, quibus nemo unquam nisi dum disputat, captus est? *re fallunt*, *illas discerne*; Quare laconicè & sine ambage etymologiam dedisse (ne nodum in scirpo nos quærere æstimemur) nobis sufficiet: Hanc in rem intentum nostrum multum sublevabit *C.* 1. *p.* 2. ubi paulò fusius de temperie disseruimus; verbô *Intemperatum* negationem temperiei naturalis in corpore denotat, quemadmodum & li *inconstans* constantiæ negationem importat, quare tum intemperies adesse censenda erit, quandocunque ea est molecularum mixtio, qua sive ex defectu sive ob excessum unum præ altero juxta *Coum* non solùm prædominatur, sed humanâ naturâ potentius est, quodque non possit superari imò aliqua illarum secreta fuerit, atque ipsum in seipso fuerit, unde posthac necessariò temperies qualitativa lædi & turbas, atque sic intemperies (& quidem talis, quæ actiones in corpore materialiter fieri consuetas lædat) exurgere debet. Nominamus hoc Intemperatum etiam Hippocraticum, quia non in qualitatibus primis, sed potentiis Hippocratis salinis &c. certâ figurâ nocivâ &c. præditis juxta purissimam *Hippocratis* mentem illud consistere asserimus, &

& afferto huic etiam certiffimam & infallibilem medendi & accuratè ac legitimè curandi methodum (ut ad oculum ex fequentibus patebit) fuperftruere poffumus : *Galenici* (fi facultates Hippocraticas agnoviffent) non ineptè Intemperatum hoc fub nomine cacochymiæ in fcænam duxiffent; videtur autem ly cacochymia græcum effe vocabulum, quemadmodum fere omnes affectus (pofteaquam Medicina ab *Ægyptiis* ad *Græcos*, artem noftram plurimùm excolentes, tranfiit) fimilibus nominibus infigniti fuêre, & quidem compofitum â κακὸς, malus, & χυμὸς, fuccus ; Quafi idem fonaret, ac fonat malus, aut pravus fuccus, hinc & ars illa chymica deftillatoria ἀπὸ τῦ χυμῦ derivatur, utpote quòd in fuccis faciendis fuiffet occupata; *Germanis* eine ungeſtalte Feüchte oder eine Ungeſundheit; Non eft tamen, quòd hoc de chylo applices, utpote qui malè utplurimùm cum chymo confunditur, chylus enim dicitur, & eft talis, quousque ad venam cavam nondum pervenit, nec ibidem fanguini commixtus eft, hinc quemadmodum elaboratio chyli propriè chylofis, ejusque per lactea vafa usque ad cor continuata diftributio anadofis chyli intitulatur, fic affimilatio chyli in fanguinem chymofis jure nuncupabatur, chymus enim propriè dicitur, dum chylus ad materiam fanguinis magis vel minùs accedit : Inde in propatulo eft, cacochymicum humorem feu fuccum dici illum, qui in fanguine, indeque derivatis humoribus exiftit ; cacochymiam verò (nobis Intemperatum) illam appellari, quando pravi feu mali fucci in maffa fanguinea (hinc eam effe humorum in fanguine vitioforum abundantiam &c. quæ tamen potiùs fub titulo plethoræ cacochymicæ venire poterit) nidulantur hancque inquinant: adeoque hæc principaliter (ut de fubjecto ejusdem brevi edocebimur) eft in fanguine, notatque propenfam feri & fanguinis ad ftatum præter naturalem difpofitionem, adæquatè etiam extra vafa. *Wedel. in theorem: Med. p. 2, L. 2. Numero 15.* fed fatis de his progrediamur.

CAPUT II.

De Intemperati Definitione.

UT genuinam hujus descriptionem in Scænam ducamus, monere Lectorem volui, quatenus ea, quæ *priori parte C.* 1. *& dein* 4. de subjecto temperiei nempe sanguine & humoribus adduximus, rememorare velit, & quamvis hîc eundẽ multùm variare statuimus, omnem tamen in statu naturali versari, probavimus, secùs reverà ab illo deflectit, quamprimùm actiones minùs ritè ab homine tali perficiuntur, hîc modò unicè nobis incumbit demonstrare (cum is etiam more aliorum humorum quatrupliciter, nempe & quantitate, & qualitate, & motu, & situ deviare queat) quâ ex harum ratione intemperatus evadat, & sic in statum cacochymicum satiscat; Igitur denotandum nunc est, pravusne hic succus in Massa sanguinea quoad quantitatem, vel qualitatem, vel motum vel situm considerandus veniat, pravus enim æquè potest esse sanguis in situ v. gr. dum extravasatur, aut extra corpus, aut dum intra corpus in cavitatem quandam effunditur, aut dum in loco quodam stagnat; In omnibus his casibus meherclè intemperatum per se (licet facilè mora facta tale quid subsequi queat) non fundatur: nec secundò ex se fundamentum habet in quantitate (sive hæc excedat sive deficiat) suâ, si enim deficit, adest inanitio seu inopiâ; si suberabundat, exurgit plethora: Nec *tertiò* quærendum in motu, licet multoties depravatus quoque intercedat motus; ergò *quartò* consistit verè & realiter unicè in qualitate quadam peregrina, quæ ita postmodum sanguinem inquinat, ut homo ille ad functiones suas ritè obeundas inhabilior fiat; sic & omnes Medicinæ Proceres unanimi ore, & unô calamô sub ly pravus vitiosam aliquam qualitatem (in reliquis vitiis potiùs dicendus est pravus sanguinis motus, pravus situs, & quantitas prava) seu sanguinis vitium in qualitate intelligunt, dum scilicet ob sensibile unius vel alterius particulæ minimæ prædominium sanguis redditur

viscidus,

viſcidus, ſalſus, acidus &c. *Jo. Jac. Waldſchmid Inſt. Med. ration. L. 2. C. 11. §. 3. p. etiam 79. Frid. Hoffman in fund. Med. pathol. C. 1. §. 36.* ubi ait: cauſa morborum non ſolum eſt intemperies & humorum vitioſa NB. qualitas, dicta cacochymia, ſed illorum quantitas aucta; adeoque per cacochymiam intelligitur principaliter ſanguinis, ſecundariò etiam & adæquatè aliorum humorum ab eo dependentium vitium qualitativum; hinc & *Sinapius* (veterum, etiam ipſius *Hipp.* in pluribus flagellum, vir ſanè de cæterò maximi Ingenii) in paradoxis Medicis *p. 1. C. 7.* §. 1. dicit: in ſano ſenſu datur cacochymia, ſi intelligamus per cacochymiam quamcunque ſuccorum corporis noſtri pravam diſpoſitionem, & exceſſum acidi, ſalſi, viſcoſi, acris, tenuis, intemperati &c. hoc enim vox cacochymiæ indigitat; *Inde Veteres fictitiis* quatuor humoribus innixi definiverunt cacochymiam, quòd ſit omnium humorum aut unius vitioſa qualitas, ſive enim ſanguis â ſua temperie longè receſſerit, ſive bilis, ſive pituita ſive Melancholica (ſic usque dum loqui amant) alienam & minùs competentem contraxerit qualitatem, cacochymum appellarunt tale corpus.

Nos exploſis jam dudum quatuor humoribus ad mentem neotericorum, commodiorem damus definitionem hanc v. gr. Intemperatum Hippocraticum ſeu cacochymia eſt principaliter ſanguinis, adæquatè etiam aliorum, inde orientium, ex humorum propria (plùs minùs & diverſimodè) mutatâ texturâ ſeu temperie naturali elementari reſultans vitioſa craſis quâ ii proprietates acquirunt, functionibus debitis obeundis ineptas, corpusque ſic noſtrum variè læditur: definitio hæc reſpondet datæ definitioni de temperie, & licet paulò fuſior ſit, conſtat tamèn ſuo genere, v. gr. quòd ſit craſis ſanguinis & aliorum humorum, ratione cujus convenit etiam ipſi temperiei naturali, per ly autem vitioſa ab hoc differt: dein quòd ſit vitioſa craſis genus dicit ad omne intemperatum, per li vero ex propria, plus minus & diverſimodè mutatâ texturâ, habetur differentia Intemperati varia, & ut loquitur *Cous*, ſexcenta: adeoque toties intemperatum vel cacochymum adeſſe dici poteſt, quoties corpuſ-

cula v. gr. ſanguinem &c. componentia terreſtria, aquoſa, ſalina, acida, fixa vel volatilia, incraſſantia, aut reſolventia, mucilaginoſa diſproportionaliter inter ſe ſunt mixta, ita, ut motus eorum vel aboleatur, vel imminuatur, vel depravetur, unumque præ altero præter ordinarium naturæ curſum prædominetur, ſuique juris & potens fiat, ac tales inde oriantur qualitates, quæ actiones corporis humani quocunque tandem fere modo (quantum ab intemperato ſperari poteſt) impediunt.

CAPUT III.

De
Diagnoſi ipſius Intemperati.

No. I.

AMpliſſimam me ſuſcipere provinciam hoc in paſſu mihi videor, dum ſigna Intemperati diagnoſtica hîc allegare præſumo, ea enim eſt innumerabilis accidentium farrago, ut horum enarrandorum vix exſpectandus ſit finis; conſule tantum modò hyſtericas, hypochondriacos, ſcorbuticos, imò omnes cacochymos hac in re, an non quivis horum, vix audito de quodam alio ſtatu, aut accidente aliquô morboſô, etiam ſe tali ſymptomate laborare conqueritur? nec eſt, quòd mihi nodum ſolvas dicendo, potiùs ſimiles (ut omnes Neoterici teſtantur Medici, nosque ipſi in theſibus noſtris de malo hypochondriaco aſſeveramimus) ægros ex ſpaſmodica quadam affectione, non ab intemperata aliqua materia haſce affectiones ſuſtinere; Non enim hoc inficias eo, ſed & tu non ignarus eris, tametſi in progreſſu & ſtatu tandem ſolida corporis irritentur, & criſpentur, ſpaſmodiceque contrahantur, & ſic liquidorum æquilibrium & curſus mille mulctetur modis, attamen originem & principium morbi ſemper fere ab aliquo fluidô irritante produci, adeoque quotquot progerminant in hujusmodi caſibus ſymptomata, ortum tamen ſuum potiſſima ex parte Intemperato cuidam debere; deinde pro varietate etiam ſubjectorum, temperamentorum, clymatum, ætatis, vivendi modi &c.

va-

variant etiam diversimodè accidentia, adeò, ut eorum numerus in myriades fere accrescat, sicque reipsa impossibile nobis, omnia in medium proferre (maximè si doctrinæ confusionem, ut requiritur, evitare cupimus) signa, hujus affectûs genuina testimonia: ut tamen & in hac, quam in nos suscepimus, provincia nostro fungamur sinceri Medici munere. primò in genere hoc monere voluimus, quòd (quemadmodum in statu naturali sanitatem adesse rationabilius non judicamus, quàm si actiones quævis corporis humani ad normam inditæ â *Creatore* naturæ, & organisationis convenientis procedant, præsertim verò si temperies vitalis ea est, quæ quasvis post se corporis qualitates naturales sibique proportionatas exhibet, penesque *secundò* retineantur, quæ sunt retinenda, excernantur verò, quæ sunt excernenda: Pari ratione, si quod harum aut deest, aut excedit, aut singulariter si depravatur, id est, si vitiosa quædam qualitas se sistit, tunc Intemperatum ac cacochymicum in corpore seu fluidis fluctuare, prudentissimè conjicies: Ut nunc ad rhombum nostrum deveniamus, dico primo Intemperatum omne singulariter quoque dignosci posse ab iis, quæ id *antecesserunt*, nempe â causis quibuscunque tandem; quia vero hasce paulò inferius uberius assignabimus, ideò, ut ibidem illas consideret, Benevolum Lectorem interea suspendimus: Dico secundo eminenter, quamvis cacochymiam (causæ enim eædem non omnes æqualiter afficiunt, cùm nec nisi pro varia subjecti dispositione, hinc duobus æquali victûs ratione utentibus, alter salvus manet, tametsi inde secundus multùm lædatur, agant) à *consequentibus* seu ab effectibus erui, quò singulariter symptomata terna actionum læsarum, quàm etiam *excernendorum & retinendorum*, quàm etiam qualitatis in corpore mutatæ pertinent. Dico insuper tertio Intemperatum quodvis, qualenam in specie sit, unicè *desumi* ab illis rebus, quæ ipsi essentialiter insunt, & adhærent, ita ut exin clarè salsumne sit an amarum, acerbum, ponticum, acre, viscidum &c. cognoscamus.

No. II. Placet nunc â symptomatibus exordium facere, inter quæ primo sese offerunt actiones læsæ præsertim

ſimilares, lædi enim has neceſſe eſt, ſecùs non eſſet intemperatum, ſed in ſtatu phyſiologico: Inter iſtas in ordine ad individui conſervationem præ aliis occurrit ipſa vitalis (aliis naturalis dicta) actio, *chylificatio*, quæ reverà (quamvis non ſolùm, intercedit enim nonnunquam quoddam malæ conformationis, aut etiam ipſius ſolutæ unitatis vitium) ab intemperato liquore, qui forte in ventriculo fluctuat, variè ſæpeque enormiter læditur, ac peſſundatur, eoque pejus eſt, id quod ſemel conſpurcatur in hac prima digeſtione, in ſubſequentibus corrigi nunquam amplius poſſe, ita, ut ventriculus meritò limen plurimis morbis pandere dicatur; ſuccedit eminens altera actio vitalis, quæ *ſanguificatio*, nuncupatur, unde ſanguis non ſolum ex digeſtionis primæ vitiô & contaminatione perverſam ſortitur temperiem, ſed, tametſi laudabilis cæteroquin generatus eſſet chylus, â præpoſtero 6 rerum non naturalium uſu, præ primis verò gravioribus animi pathematibs (depaſcentibus veris vitæ noſtræ tineis) totus quantus intemperatus reddi poteſt, unde poſthac innumera exoriuntur mala; Inde apnæjus fit thorax, inflamantur pulmones, promanat hæmoptoe, tuſſis moleſtiſſima pectus concutit, cor enormiter palpitat ac tremit, delinquit animus, hinc & anorexiæ infeſtant, fames exoritur variè depravata, ſitis torquet clamoſa, ſtomachus tantopere ardet, tam crudeliter excruciat inteſtina dolor contorquens, imò lernæum illud malum, affectio hypochondriaca tot plagis hominem mulctat, & uterus ad ſtuporem uſque tam crudeliter furit; verbô ſexcenta alia inde homines infeſtant. Huic proxima eſt vitalis alia nutritio totius nuncupata, quæ pro ſanguinis varia & multiplici intemperatura enormes corpori affricat fœditates & ſpurcities. Si tandem ipſum *Palladis* Emporium, cerebrum perſcrutaberis, invenies profectô hujus ratione & ſenſationes triſtes, motus nonnunquam perverſos emergere, ſi intemperatum quoddam fluidum nervos & membranas obſidet: Hinc ſæpe numerò vix tolerabiles exurgunt capitis dolores, varia emergit ſomnolentia morboſa, morbus evenit attonitus convellitur corpus, Incubus moleſtat, laſſantur ac tremunt membra,

membra, delirant homines, memoria læditur, visus hebetatur, depravatur olfactus & gustus, vacillat auditus, vox eclipsin patitur; Inde denique tam nefandi totius habentur dolores. Et hæc in genere nunc obiter monuisse sat est.

No. III. Devenimus nunc ad ipsa *excernenda & retinenda*, quorum ratione, prô dolor! quantus non evenit miseriarum catalogus ab intemperato? hinc vomitionis nullus fere finis, hæmorrhagiæ præsertim scorbuticæ tam frequentes, cholera tam funesta, catarrhi ferini, dysenteriæ & diarrhææ tam feroces & exitiales, fluxus hepaticus tam periculosus, hæmorrhoidum tam sordidus, tam formidolosus sanguinis mictus, diabetes tam crudelis, dysuria tam urens, gonnorhæa tam fætida maligna, chlorosis muliebris tam exosa, fluxus catamæniorum tam immodicus aut abolitus, & ut mille alia mala subticeam, sæpe etiam inconvenienti omninò loco exitum tentans, etsi quæ alia innumera esse possunt.

No. IV. Ab his descendimus ad qualitates corporis mutatas, quorum rursus (ut cuivis rerum perito per se patet) ingens est phalanx; inde conspiciemus hunc horrere, imò rigore concuti; alterum econtra vesuviano more ardere, inflammari, subinde gangrænari, & sphacelari; illi linguam asperitatem excessivam & siccitatem contrahere; huic carie corrumpi dentes & ossa, multoties & ora variegati caloris aphthas exulcerare; alium morbô corripi regio aut vario aureoque tingi ejusdem corpus colore; cuipiam econtra totum corporis habitum mirum quantùm pallescere; multis scabie fædâ contaminari cutem; his etiam istam ichorem copiosum plorare; ex adverso illis quasi cataphractatis acervos fere sqamarum decidere; Infantibus multùm etiam negotii facescere crustam lacteam, achores, favos, aut exarescere sæpe cutem; & quis enarraret omnes mutatas qualitates? quis enim finis est exanthematum, variolarum, morbillorum, erysipelatum, rosæ, herpetum Impetiginum, guttæ rosaceæ? imò longè majoris adhuc similium affectuum cohortis? qui omnes (licet non semper & unice, nam etiam subinde â soluta unitate, aut morbo malæ conforma-

tionis

tionis oriuntur) reverà ſaltem ex parte ab intemperato procedere hucusque æſtimati ſunt.

No. V. Inſuper Diagnoſis noſtra ulteriùs progreditur, quot enim non morbi malæ conformationis inde propullulant? unde rachitis infantum? unde tam multiplices ſpontè in corpore enaſcentes tumores? unde nodi podagrici? tophi venerei? bubones & longè plura alia, quàm ab intemperato derivanda? àdde etiam plures ſolutæ unitatis morbos; hinc vides tam varia tam multiplicia ulcerum genera, ſæpè, ex humore mali moris, aut non, aut difficulter ſanabilia, phagædenica, imò cancroſa, gallica, ſcorbutica, atque frequenter & ipſa vulnera caſu inflicta ab hoc noſtro intemperato in corpore latente curationem omnem reſpuunt: In his planè omnibus & multis aliis caſibus (ni rationabilis alterius cauſæ adſit ſuſpicio) prudenter cacochymum quoddam & intemperatum adeſſe conjicere & cognoſcere poteris. Multa adhucdum hujus fori eſſe poſſent, præſertim quoad ipſa *juvantia & lædentia*, nec non quoad *urinam* & *pulſum*, quia verò hæcce fere in vulgus nota ſunt, & in *Baſi* mea *Lib.* 3. *de ſemiot. C.* 2. *&* 3. fuſius tractavi; ideò nunc abrumpo filum, atque ad fontem *ſignorum eſſentialium* pro tenuibus viribus meis rimandum devolvor.

No. VI. Exſpectabis hîc, ut credo, quatuor â veteribus cacochymiarum ſigna characteriſtica, ſcito autem, nos neutiquam â Divino noſtro *ſene* ſecedere cogitare, atque cum ſexcenta ſint, quæ ſui Juris facta, exuperantia hominem lædere queunt, ideò etiam nos illis ſolis inhærere nequimus, nec præſumimus tamen omnium horum Intemperatorum (nam quantaquæque nobis patent, & quis omnium ſaporum differentias noſcit?) pathognomonem in medium ducere, ſufficiet nobis communiorum ſaporum ſigna characteriſtica (quantùm poſſumus) quædam aſſignaſſe.

No. VII. Imprimis autem inter morboſa *Intemperata* ſe ſiſtit amarum Hippocraticum dictum; quod hic examinandum venit, quommodo, morboſum eſſe, cognoſcatur in homine; habetur autem plerumque ex tribus ſympto-

pto-

ptomatibus læsis, nam primo *quoad actiones*, tales utplurimum habent pulsum majorem, quàm status naturalis exigit nec non frequentiorem, & fere duriorem; Ingenium est solertius ac promptius, morosius tamen; sensus magis veloces & præproperi; motus corporis & animi longè velociores, citissimè irascuntur, imò in furorem rapiuntur facilè, audaces sunt, & ad vindictam proclives, penesque toti quanti rerum suarum jactabundi, &, licet maximè inde vires resolvantur, ad venerem tamen ex natura suâ maximè inclinant; econtra autem inediam, & jejunium omnium minimè ferunt; anorexia sæpe & nausea præsertim ad carnes frixas, ova sorbilia, pisces, cerevisiam, & pinguia adest; sitis econtra major, citò quoad corpus accrescunt, sed tamen etiam promptè senescunt, & citius vitæ finem imponunt; somnus parcior, insomnia verò frequentiora de incendiis, & jurgiis ac tumultibus; *Qualitates* autem *mutatas* quod attinet, tales plerunque sunt graciliores, macilentiores; cutem habent calidiorem, & fervidiorem præsertim in volis manuum, ubi plerumque calor est acer & mordax, cæterum duriorem & asperiorem; color faciei est cum virore quodam pallidus vel flavus, aut subinde etiam subniger, vasa lata maximè in oculis conspicua; verbô, isti utplurimum fervent, & acrimoniam urentem quandam in habitu sentiunt: Denique quoad excreta, in his urina fere semper valde tincta, & salibus saturata est, alvique frequentissimè sunt laxioris, & diarrhææ obnoxii; humores tenuiores, & fluidiores, atque in multis ea patiuntur, quæ ab Antiquis bili vel calori adscribi solebant.

No. VIII. sequitur secundum satis famosum Hippocraticum Intemperatum, quod vocant, acidum, quod sequentibus fere se manifestum facit: hujus clientes, quoad suas actiones sunt præcocis quidem ingenii, senescunt tamen ante tempus; memoria in iis est valde dura, at firma, reliquorum verò sensuum quædam adest hebetudo; facilè timent & tristantur, sic & aspectus fere tristis, inconstans, & horridus apparet; somnus est paucus & turbulentus, aut interruptus; molestant insomnia de rebus nigris, horrendis, cadave-

daveribus, sepulchris &c motus corporis ad Hispanicam gravitatem compositus; pulsus item tardus, durus, parvus rarus subinde magnus vehemens, imò nonnunquam inæqualis, præsertim in potatoribus; ad iram serius incitantur, sed posthac difficilius placantur; appetunt insigniter, minus autem sitiunt; Quidam tamen, quibus placatius est hoc acidum, meliora sydera nacti sunt satis prudentes, magnatumque, ac Principium consiliis adhibentur, utpote ingeniosi, constantes, astuti, sed cauti & avari; Insuper tardius accrescunt, nec singularis ad venerem propensio, â qua sæpe læduntur; si secundo qualitates corporis consideras, ut plurimùm tales videntur graciles & macilenti, cutis ad tactum satis frigescit, siccescit, dura est & aspera; color faciei fuscus, plumbeus, aut nigricans; pili multi, duri, asperi, crassi, nigri &c. humorum constitutio talis est, sanguis etiam teste *Sylvio Lib.* 1. *prax C.* 11. §. 11. *p.* 111. est tenax & viscidus crassus; ast veniam â tanto viro precor; multoties observavi sanguinem talem plerumque meliorem de valetudine statum designâsse, secùs enim dum floridus erat V. S. detractus usque dum tales (melancholicos dictos) pessimè, & laboriosissimè vixisse, melius videlicet est, ut viscidítates similes in sanguine fluctuent, quàm ut meatus obstruant, & partes solidas mille mulctent malis: serum econtrà fluidius fere est & tenuius, hinc acidô hoc laborantes fere sunt sputatores, & sæpe nocturnis sudoribus diffluunt, hi tamen â colliquativis in hectica sedulò distinquantur. Quoad excernenda urina sæpe aquea tenuis, ac velut spiritus vini, rarius, nisi ex alio accidenti, turbida, crassa, & nonnihil tincta: alvus penes segnior, catamenia difficilius fere fluunt ac atrescunt &c. Hi scyrrhis, cancris, ulceribus cacoëthicis, lepræ, quartanis, cordis palpitationibus, vertiginibus, anxietatibus, syncopi ac morbis chronicis multùm subjacent, varii generis doloribus, pruritui, impuritatibus cutaneis &c. Hæc tantam apud nonnullos hodie adepta est palmam, ut fere ea unicam omnium omninò morborum Intemperatorum causam (si scriptorum recentiorum nonnullorum placita leges) agere videatur, quàm malè autem, in thesibus meis de ma-

lo hypochondriaco abunde docui ; dolendum profectò est plurimùm, etiam inter recentiores tanta exoriri hodiedum schismata, ubi tamen plures medicinam jam ad ἀκμὴν pervenisse sibi imaginantur, longè profectò tales à metâ aberrant, & magis huic sectæ obirascor, dum hi suam mentem germanico idiomate orbi litterario communicare (ut magis habeantur *Apollines*) præsumunt, hinc toxicum hoc etiam ipsos Chyrurgos castrenses, & eos, qui vix est tonstrina quadam evolarunt, in hominum perniciem inficit, de quibus facetè *Peschlinus* S. J. Pater canit.

In bello occidit solus duo millia thymbron,
*Quævis quis fuerit? Medicus * Castrensis.*

Et unde, nisi quod asini hi (doctos excipio) mox ex similibus libris (quorum textum tamen sæpe alphabetisare necesse habent) magnos esse Doctores sibi persuadeant ignari illius.

Doctor in libro non valet ova duo.

No. IX. Sit modò tertium, nimirum dulce seu insipidum Hippocraticum Galenicis pituitosum ; & hoc est (ut & in basi insinuavi) immediatum chyli (dum vitiô digestionis chylosæ dulces aberrant, aut exuperant) erratum, quod istis fere signis se prodit ; Qui hoc vitiô infecti sunt, quoad actiones sunt quidem tractabiles, sed & ac hebetes, torpidi, & segnes ac tardi nec non somnoléti; venæ sunt graciliores, & sanguificatio ob sanguinem multis particulis viscidis saginatum, minùs succedit, hinc & minùs spiritualscit, nutritioque vapulat, & malum non tam ad cachexias pituitosas, quàm leucophlegmatias inclinat, magis appetunt quàm digerunt; *Quoad qualitates*, corpus mollescit ac albescit & obesius fit; facile frigent tales, infarciuntur & levi ex causa viscera, ac scyrrhi emanant, aliique chronici oriuntur affectus ; pili fere albicant, defluxiones paciuntur præsertim ad thoracem. Quod excernenda &c. attinet, hi multùm sputant, cruda dejiciunt, talemque excernunt urinam nempe crudam, albam tenuem nunc crassam & lactescentem.

* Scilicet ein Feldscheerer/ quibus modò fere solis contra conscientiam militum cura commiti solet.

No. X. Quartum nunc ſequitur Intemperatum Hippocraticum ſeroſum hucusque nuncupatum, de quo quidem *Cous* nullam videtur feciſſe mentionem; Si tamen textus ejus in hac parte ultima proœmialiter aſſignatos ad bilancem noſtram trutinamus, invenimus profectò & hanc cacochymiam fundamentum in noſtro divino *ſene* ſortiri, poteſt amarum enim dulce & acidum (quò & acerbum, auſterum & ponticum ſpectare veroſimile eſt) ſalſum quoque & fluidum in medium profert, ſub quibus terminis, ut nunc pateſcet, unicè ſeroſa intelligitur; poſtquàm enim pugiles noſtros binos, acidum & alcali, ſub titulo amari & acidi perſtrinxerat, devenit poſthac ad conſiſtentiam humorum, ubi craſſiorem ſub titulo dulcis ſeu pituitoſi innuit, ac tandem ad fluidum & ſalſum deſcendit, utpote enixum quoddam, exuperans tamen ex aſſignatis duobus pugilibus præternaturaliter affectis emergens, ſic innuit intemperatum (non temperatum) hoc fluorem humorum, qui plerumque etiam ſalſi ſunt, quemadmodum in catarrhis tenuibus quotidie conſpicere eſt: Salſa reverà neutrius (ſi naturalis ſtatus limites non excedunt) ſunt generis, attamen ſi excedunt meherclè plurimùm attenuantur, præſertim ſi plùs de urinoſo volatili oleoſo (ut plerunque in ſcorbuticis ſimililibus accidit,) participant, hinc qui hiſce defluxionibus ſuccumbunt, fere (en ſigna diagnoſtica) *quoad actiones*, multùm ex ſpuunt; Plures patiuntur affectus artuum dolorificos, Rheumaticos vagos ac fere urinariis morbis laborant; tuſſiunt multùm, rauceſſunt, varia per nares & os excernuntur, & ſæpe effluunt ſponte; ſubinde etiam appetitus languet, ac nonnulli ſitiunt, venter interdum tumet, & in his ea, quæ paciuntur, facilè tranſeunt, ſed & facile levi ex cauſa, præſertim ab aëris inclementiâ, & variis mutationibus repentinis incurrunt morbos; Ratione *qualitatis mutatæ*, fere phlogoſibus obnoxii ſunt, ſalſedinemq; oris patiuntur imò, quæ tuſſi rejiciuntur; fere ſunt aquea, ſpumoſa & ſalſuginoſa: quoad excreta fere ſunt tenuia, acria, etiam nares excoriantia, pruritum & ardorem oculorum cauſantia; ſudoris ſæpe ſalſi & urinæ copia ſed & acrimonia fere adeſt; Applica huc, quæ Cl. *Morton* in

ſua

ſua accuratiſſima phtyſiologia de phtyſi ſcorbutica habet; Et hæc de ſignis principaliorum cacochymiarum dicta ſufficiant, licet fundum non exhauriant, longè enim plura adhuc in ſcænam proferri potuiſſent, præſertim ſi & gradus harum producendi animus fuiſſet, nulla enim eſt, quæ non ſuas habeat latitudines & accidentales differentias, prout nempe modò allatæ particulæ plùs minùs prædominantur ſingularemque corruptelam contraxerunt, ac etiam μίξις minutiarum hac vel illa ratione turbata eſt, hinc etiam morbi cacochymi (ut ſupra edocti fuimus) ad claſſem turbatæ mixtionis morborum pertinent.

No. XI. Hinc reverâ & ſcorbutus ſuam hiſce ſaporibus vitioſis debet originem, & quidem ſi in eo phlogoſes, tenuitates humorum, ac doloroſa cum calore conjuncta pathemata aut laxitas gingivarum cum rubore &c. obſervantur, ad majorem cacochymiæ & ſeroſæ amaræ gradum meritò trahi poſſe mihi perſuadeo; econtra & frigeſcit, ſi corpus tumet, in multis partibus livet, tumores duros præ ſefert, & lividos, totoque quaſi corpore frigent &c. verbô cum majori humorum quiete conſequenter & frigore quaſi cadaveroſo ſe noſtro ſiſtit aſpectui, planè ad acidæ intemperiei ordinem non injuſtè trahitur. Luem veneram ſi conſideramus, reverà lymphæ vitium & ſic ad intemperaturam ſeroſam (unicè enim affectus eſt glandularum, hinc & nutritionem vitiat, & tandem carie oſſa exedit) referri debere in propatulo eſt, ubi & ſingularis ac ſpecificus ſapor, & quidem cauſticus partes æque ſolidas ac molles aggrediens tantæ malorum lernæ author, exiſtit, hinc & decoctis lignorum quaſi balſamicorum & attenuantium, aut mercurio viſciditates corroſivas per glandulas eliminante talia ſcorta unicè adjuvantur: quò & ſtupendus ille affectus (quo oſſa intacta cute exeduntur ac perforantur, ut recens nobis exemplum hîc in quodam ruſtico ſuppeditat) ſpina ventoſa dictus trahi juſtò ſpectat.

Non dicam hic de horrendo illo & abominabili malo lepra dicto, quod adeo omnes melioris notæ homines fugiunt, ut etiam ſeparata illis domicilia ſint deſtinata, ubi pro-

fectò mira incusari rursus debet humorum ametria, fortè si cupis ob lixivialia ibidem luxuriantia salia denuò ad amarum redigenda intemperatum; diagnosin innumeri præbent authores sexcenta alia reticendo ad alia devolvimur.

CAPUT IV.

De

Intemperati Essentia.

§. I.

QUemadmodum, ut in priori sect. c. 2. enodavimus, temperiei naturam â molecularum nostrarum ad æquam bilancem positâ, saltem ad Justitiam, modificatione deduximus, sic profectò æquanimiter intemperatum omne ab inæquali earum textura, motu, figura, quantitate & situ derivemus necesse est, adeoque sic morbus intemperiei sine febre exurgit, & ut rem paucis explicemus, omnis cacochymiæ ea est natura, & essentia, quam â tali & tali molecularum motu, figura, verbô, certa & morbosa actionesque æconomiæ animalis quoad qualitates varias lædente modificatione sortitur, inde evenit, quòd hic frigeat, alter caleat, iste minùs ille magis doloribus vexetur, unus in iram & furorem, alius in metum & tremorem; Quidam in hæmorrhagias varias præsertim acriores scorbuticas, quispiam verò in polyposas sanguinis affectiones abripiatur; imò si fatiscentia integra particularum minimarum contingit, ipsa inde gangræna partis aut totius oboritur, ut in febribus fere malignis & pestilentialibus evenire prudentissima meritò est conjectura; Inde remediis nullus datur locus, & spes ad frugem redeundi nulla; Econtra tametsi varia in sanguine & humoribus oboriatur discrasia, moleculæ diversimodè quoad suos modos seu primarias affectiones alterentur, variasque intemperaturas producant, modo mixtionis vinculum, quale tandem, retineant, res adhuc in salvo esse potest; Nos verò â scopo non errare, quivis rerum parùm peritus in seipso experiri poterit; Rapiatur enim in iram, ecce dum moleculæ sanguinis enormiter ab hoc animi motu moventur, sulphureæque præ-

prædominium, spiculatam figuram nactæ, sortiuntur, totus mox incalescit, spumabit, & igneam naturam nanciscitur; Ex adverso alius totus quantus exhilaratus derepente tristi nuncio territus, motu sanguinis sufflaminato languet corpore, tristatur animâ, imò frigescit, & sic de omnibus reliquis affectionibus sentias præternaturalibus; si ultro dubitas, considera varia dolorum genera, nonnisi â multiplici particularum modificatione propullulantia.

§. II. Cùm cacochymias quasdam quasi Catholicas in sequente capite statuminaturi sumus, ideò & in quo natura earum in particulari consistat, hîc decidamus necesse est.

N.o I. Essentia autem amari in eo sita, ut particulæ salino præsertim alcalico - sulphureæ volatiles (quibus & sæpe acidum volatile oleosum sese associat) excedant, suique juris fiant, & sic intemperatæ lædant, effectusque, qui similibus particulis adscribuntur, producant.

No. II. Econtrà *acidi natura* tum deprehenditur, quando minutiæ acidæ, nimirum fixæ (quò & austeræ, acerbæ, ponticæ trahi possunt) ac macræ, & plùs minùs terreæ eminentiori in gradu observantur, ita ut insigne prædominium sortiantur, actionesque vitiosas reddant, ac talia in corpore efficiant, quæ aliàs similibus particulis attribuuntur.

§. III. Dulcis Intemperati essentia præprimis quærenda est in particulis quiescentibus fere, viscosis, ubi minutiæ activæ satis inhamatæ & inviscatæ sunt, ita ut suam præsentiam vel non possint procedere, vel eæ multùm deficiant, unde chylus ita socors & tenax est, ut in sanguinem converti nequeat, sed quasi crudus massam sanguineam infarciat, ita ut ea, quæ supra de hujus signis diagnostis enarravimus tum eveniant.

No. IV. Denique *serosæ cacochymiæ essentiam* tum hariolaberis adesse, non solùm quando partes aqueæ serosæ abundant, partesque subditas inundant, (sic enim duntaxat plethoram serosam constituerent) sed potissimùm tum, quando vitiosa qualitas fere salsa & acris accedit; quibus ex effectibus hanc cognoscere habeas, vide hujus diagnosin supra.

No. V.

No. V. Reliquarum intemperaturarum essentias successivè ipse etiam in praxi erues, modò ad plurimorum morborum specificum saporem inquiras, huncque observes.

CAPUT V.

De

Intemperati Differentiis.

§. I.

ACtum agerem, si hoc in loco eâ, qua in priori S. 2. C. 3. processi methodo scribere intenderem, quippe plùs quàm sufficit hic dixisse, nullam rerum crasin, seu temperiem etiam vitalem intemperati censum subingredi, nisi quà μίξιν seu temperiem elementorum substantificam toto genere præternativam præsupponat, unde primùm posthac vitales nostri liquores, maximè nectar nostrum vivificùm sanguis, variam pro varietate mixtionis morbosæ naturam induit, sicque Intemperatum qualitativum nuncupandum & discrasia in universo emergit corpore; Quotiescunque enim res creatæ aliam & aliam, quam â primo omnium *Creatore* nactæ sunt, quantitatis, figuræ, partium sitûs aut motûs quietis aquirunt modificationem ac texturam, toties etiam â naturali sua deflectunt crasi, intemperatæque evadunt, ac in Æconomia animali ingentem excitant, vel saltem moliuntur ruinam; Nec hìc moror, an Intemperatum tale dicatur arithmeticæ seu geometricæ proportionis, est enim omninò præter naturam, læditqne in homine actiones, eoque neque habet miscelam ad pondus, neque ad Justititiam: Hoc Intemperatum autem vel nobis connascitur, perque semina parentum contrahimus, mereturque tum ratione originis *connatum*, seu nativum appelari; vel nobismet ipsis (quod pro dolor! hac mundi ætate omnium frequentissimè accidit) per sex rerum nonnaturalium abusum cudimus, & reverà etiam *Ascititium* nuncupari potest: Insuper hic siccô pede præterire neutiquàm licet, aliam nempe existere Intemperiem cum, aliam autem sine febre, de qua nos potissimùm

mùm agemus, tametsi & hæc in febribus sedulò consideranda veniat; rara enim, imò rarissima est febris (si ephemeram excipias) sine cacochymia, licèt hæc millies sit absque febre: *Differre* item *accidentaliter* intemperaturas plus quàm certum, & quidem.

§. II. Transimus nunc ad essentialem cacochymiarum differentiam determinandam, ubi jure meritissimô Quæstio illa scholarum famosissima, *quot, & an tantum quatuor dentur cacochymiæ seu intemperaturæ?* ventilanda oboritur, quæ reverà plurimùm negotii facescere videri potest, utpote quòd inveterata de quatuor hisce intemperaturis solis & â *Galeni* temporibus hucusque fere indubitata opinio, ita ut contrarium velle statuere hucusque summum fuerit piaculum, ideò quâ præivit *Galenus*, sic quoque nefas fuit aliter sentire; Imò si quis in schola Galenica â longè etiam contrarium tantùm cogitasset, ê re medica velut atheus (*Galenum* enim quamvis in plurimis erroneum velut *Deum* errare nescium flexo quasi poplite adorarunt) proscriptus & fulmine medico tactus vagari coactus fuisset, adeò sacer hic erat quaternarius numerus. Verùm enim verò si veritati consentaneè, si doctrinæ nostræ hactenus traditæ conformiter, si denique, ut fas est, & tenemur pro emolumento fori medici loqui desideramus & debemus, meherclè fateri extra omnem dubeitatis aleam oportet, Intemperatum in homine neutiquam intra tam angustos quaternarii numeri limites se includi ac circumvallari pati, amplissima etenim potest esse absolutorum modorum in sanguine & humoribus varietas, sic & longè diversissima quibit oriri humorum discrasia, & consequenter cacochymia, uti luculenter in plurimis affectibus apparet, hinc alia est cacochymia acida macra, alia acida volatilis oleosa, alia alcalina fixa, alia volatilis, alia pituitosa, alia austera, acerba, pontica alia sicca, alia humida, alia in scorbuto frigido; alia in calido, alia in hystericis & alia in hypochondriacis, ac alia denique (ut centena alia præterem) in lue venerea; ita ut revera cacochymiarum immensus sit campus; mihi non credis! experire, & videbis me laureolam in mustaceo non quærere,

sed

ſed unicè veritati litare, in cujus rei indubitatum teſtimonium adduco àrtis noſtræ Medicæ Protoparentem Divinum *Hippocratem*, ut jam hujus in ſectionis proæmio abundè edoctus es, qui etiam ſexcenta alia cacochyma agnoſcit, ita ut de doctrina hac (quidquid *Galenus* pravus potius *Coi* interpres quàm reſtaurator) cum ſuis adhærentibus oggranniat; quemadmodum enim inexplicabilis adhuc dum eſt ſaporum diverſitas, ſic & inenarrabili modo Intemperatum (in ſaporibus fundatum) diverſificare, & ſexcentum eſſe poterit; ita ut reipſa adhucdum numerum Intemperati abſolutè determinare omnino neſciamus.

§. III. Interea, utut ea, quæ hactenus ab ipſa experientia & ratione, atque ex limpidiſſimo *Hippocratis* puteo in medium traximus, ſint veriſſima, eſt tamen difficillimum, imò, ut mihi imaginor, impoſſibile in clinica ſeſe ſexcentis potentiis Hippocraticis eruendis alligare, nec quoque videtur talis mens ipſi *Coo* fuiſſe, ut practicus tot ſaporibus ſeſe aſtringeret; Et, ſi profundiùs rem perſtringimus, invenimus profectò, eum nobis ſuas potentias (ſaltem cardinales, & cui ſexcentæ aliæ ſubjacent) manifeſtè declaraſſe, ait enim ipſemet de veteri medicina in textu ſæpè adducto: Ineſt enim & in homine amarum, *ſalſum & dulce*, & acidum, & acerbum, & fluidum & alia infinita &c. Ex quibus clarè nobis indicatur, præprimis nos in morbis Intemperierum ad amarum, ad ſalſum, ad dulce, ad acidum & acerbum ac fluidum reſpicere debere, licet hæc ex integro (cùm infinita alia adhuc ſucceſſu temporis manifeſtanda ſuperſint) neutiquam totam in curatione affectuum præternaturalium abſolvant papigam, hinc utique evenit, ut & *Galenus* ejusque ſequaces (quaternione Elementorum, hisque ſuperſtructorum quatuor qualitatum primarum, indeque deductorum quatuor humorum ſeducti) omnes intemperies & ad quatuor ſuas cacochymias bilioſam, melancholicam, pituitoſam, ac ſeroſam reſtrinxerint: Si ut in ſe eſt, verum fateri volumus, reverà & noſtra cum Galenica, & hæc cum noſtra doctrina hoc in paſſu ſuo modo reconciliari poterit, quod enim Galeniſtæ bili abundantiori adſcribunt, hoc nos tribuimus amaro, quod ipſi

ipsi assignant seroso, nos fere salso addimus; quod nos acido acerbo, austero, illi concedunt melancholiæ; quod nos dulci viscido, lento crasso, illi imponunt pituitæ, & hæ sunt Galenicorum quatuor cacochymiæ adeò decantatæ breviter enodatæ, atque adhuc hodiedum in scholis tum in praxi meritò suam obtinent sedem, non ita tamen, ut hisce omnis humorum exhauriatur intemperies, sed quod sint sapores intemperati quasi generales & catholici: qui nobis saltem in morborum principio (donec meliora eruendi occasio nobis occurrat) sufficiunt, addit tamen etiam ipse Divinus *Senex* adhucdum unum valdopere considerabile (quod quoque jam suprà tetigimus) nempe fluidum, quo humorum fluorem & (si loqui fas est, ut censeo) lentorem ac crassitiem absque omni dubio intelligit, nam æque consistentia humorum vitiosa ad intemperies pertinet, quàm ullum aliud vitium, est enim qualitas vitiosa fluidi, quæ ad nullum alium omninò reduci poterit; Utut ergò Intemperantiæ dictæ omnium manifestiores, atque ad quaternarium numerum omninò reducibiles sint, nolim tamen quemquam (cùm purissimæ & sanissimæ *Coi* doctrinæ ê diametro opponatur) eò persuadere, ut hisce sese strictè alliget, tametsi nullus inficias eam, quin non in praxi prima fronte omninò satisfacere queant, imò adhuc arctius combinari possunt, quippe serum vel peccat tenuitate excellenti, & facilè amari ingreditur ordinem; vel vitiosum est ratione crassitiei, atque levi negotio ad dulcem reducitur cacochymiam, nisi loqui ames, serum considerari hìc velut humorem â sanguine secretum, & sic ejus vitia aliud quoque constituere intemperatum; ast insulsum est entia multiplicare, sine necessitate, sapores præ omnibus eorumque effectus considerandi sunt.

§. IV. Quemadmodum superiori P. 2. C. 3. §. 5. & sequente ad oculum demonstravimus, magnam profectò esse differentiam temperiei tum ratione sexus, clymatum &c. hìc quoque parili ratione hoc idem de Intemperato dicendum esse, probare nobis incumbit. Præivit autem nobis imprimis hoc in passu nunquam satis laudandus noster *Cous S. 3. aphor.* per totum, ubi ex instituto similia pertractare voluisse

luisse clarissimè apparet, quô nobis singulariter ob oculos posuit verissimum esse suum effatum, totum nempe hominem â nativitate esse morbum. Nunc ergò (ut consecutivè doceamus) primo *ætates* tangemus, quas singulariter. *Senex* dicta sect. 3. apho. 24. incipit, inquiens: *In ætatibus autem talia contingunt; Parvis & nuper Natis puerulis oris ulcera (apthæ* Mundfäule) *vomitus, tusses, vigiliæ, pavores, umbilici inflammationes, aurium humiditates:* Ecce, quot mala neonatum homunculum non exspectant! ut non immeritò, dum vix sedem suam deserit maternam, vitalique aurâ fruitur, initium vitæ â ploratu incipiat, ut sic, prout vult Divinus *Augustinus* suæ calamitatis (lacrymæ enim testes sunt miseriæ) esset propheta; Non est, quòd hîc malorum horum causas enumeremus, certum enim est imò certissimum, lernam hanc malorum, ut omnes practici libri ex superabundanti te docebunt, â singulari Intemperato promanare: Pergit ulterius summus noster *legislator*, dum seq. aph. 25. sic ait: Ad dentiendi verò tempus accedentibus gingivarum prurigines fiunt, febres, convulsiones, alvi profluvia & maximè qui caninos edunt dentes, & his præsertim pueris, qui crassissimi sunt, & alvos duras habent: de his infantum morbis præprimis legi meretur felix *Ettmullerus* in suo valetudinario infantili per totum, ideò & sileo ego, utpote qui solùm Intemperati varietatem (ex variatione morborum in ætatibus cognoscendam) describere cupio: continuat *Dictator* noster ætates, & ad pueritiam transit, de qua sic *apho 26.* effatur: cùm *verò jam magis adoleverunt, tonsillæ, vertebræ in occipitio ad interiora luxationes, crebri anhelitus, calculi, lumbrici rotundi, ascarides, verrucæ pensiles, satyriasmi, strumæ, & alia tubercula, id est* scrophulæ *circa caput, collum, inguina, & ubi sunt glandulæ, sed præcipue antedicta,* quæ mala reverà pleraque nostri Intemperati soboles sunt: devenit posthac eodem libro aph. 27. ad *adolescentiam*, de qua hæc habet: *grandioribus autem adhuc, & ad pubertatem accedentibus, plurima ex his, & febres diuturnæ potius, & ex naribus profluvia sanguinis;* quæ fiunt ferè 12, 13, vel 14 anno, ubi ad venerem jam inclinant, & vox amænior redditur;
Hanc

Hanc & corporis & animi mutationem optimè moraliter delineavit S. *Augustinus*, inquiens: *adolescentiam ardor quidam excipit, nec prudentiæ nec judicii compos, rerum utilium, ac laudabilium contemptio, voluptatis, ac sæpè turpitudinis appetitio, veri boni ignoratio; in pares ferocia, in superiores superbia, in inferiores arrogantia; ex his contentiones, rixæ, contumeliæ; ex rebus honestis contemptis* infelicitas & infamia: *ex turpibus curiosè arreptis & conquisitis luctûs, morbi, perpetuum denique sui ipsius odium: adde insanas pecuniarum largitiones: quæ siquis ætatis vitia, quàm naturæ miserias velit appellare, quanquàm nominis quæstionem inducat, non tamen ipsas ab homine miserias & incommoda removebit:* Verbô adolescentes quoad mores fere sunt procaces, protervi, leves, incurii, præcipites, immaturi, ni educatio errores emendet: juxta illud *Horatii*.

Invidus, iracundus, iners, rixosus, amator;
Nemo adeò ferus est, ut non mitescere possit,
Si modò culturæ patientem accomodet aurem.

No. I. Sed ad nostrum scopum; Postquàm *Codicista* noster aph. 28. durationem dictorum affectuum expressit his verbis: *plurimi autem morbi pueris judicantur, nonnulli quidem in 40. diebus, nonnulli verò in quatuor mensibus; nonnulli in annis; nonnulli pubertati proximis; Qui verò pueris permanserint, nec circa pubertatem finiti fuerint, aut fœminis, cùm menstrua erumpunt, inveterata fere* consueverunt; descendit aph. 29. mox ad *Juventutem* quasi à vere ad æstatem, hujusque morbosos affectus sic enumerat: *Juvenibus autem sanguinis sputiones, tabes, febres acutæ, morbi comitiales, & alii, sed præcipuè ante dicti.* His positis nunc ipse accuratissimus noster *Cous* ad ætatem mediam, *virilitatem*, ceu in incipientem autumnum, solstitium, devenit, virilitatis autem nomen virtutem designat teste *Cicerone*; de hac *aph.* 30. ita loquitur. *Ultra ætatem progressis, crebri anhelitus, morbi laterales, pulmonis inflammationes, lethargi, phrenitides, ardentes febres, alvi diuturna profluvia, choleræ, difficultates intestinorum, lævitates eorundem, hæmorrhoides.* Heu, quantis rursus subjacet miseriis ipsa misera Virilitas! quod adhuc feren-

dum foret, nisi majora ferenda haberet *senium*, seu occasus vitæ nostræ, de quo ultimo *apho* 31. nempè, finem sectioni suæ talem imponit: senibus spirandi difficultates, destillationes cum tussi, urinæ stillicidia & mingendi difficultates, articulorum dolores, renum vitia, vertigines, apoplexiæ, mali habitus (cachexiæ) pruritus totius corporis, vigiliæ, alvi, oculorum, & narium humiditates, visus obtusus, glaucedines, auditus graves ex denuo, quantus luctus extrema vitæ non occupat! ita ut senes meritò exclament

In nos ætas ultima venit,
O nos durâ sorte creatos!

De quibus iteratò D. *Augustinus* bellè scribit dicendo: *quid est aliud videre Senem tremulum, canum, imbecillum, infirmum, quàm cernere morientem vivum, aut viventem mortuum?* quippe his verbum morior contra Grammaticæ statuta indeclinabile est: uti & ipse noster *Senex* 20. aph. 40. hoc asseverat his verbis: *Raucitates, & gravedines seniô confectis non mitificantur*; ergò insanabiles sunt, multò magis graviores eorum morbi, qui illis accidunt. Ecce phalangem malorum ab intemperato quodam juxta ætates propullulantium, & licet quædam solidis adscribi posse videantur partibus, attamen & de illis adhucdum dubium est, præsertim dum harmonia quæpiam & æquilibrium inter utrasque partes intercedere necessariò debeat, nec enim unius datur obstructio partis, nisi simul vitium fluidi cujusdam quocunque tandem modô intemperati concurrat, plura â me non (immensum enim præter opinionem excurreret labor noster) extorquebis, si ultra quid expetis, consule accuratiores aphorismorum Hippocraticorũ Interpretes, *Heurnium*, & alios, nec non & authores practicos, & verum me dicere experieris; Hîc varietatem cacochymiarum pro ætatis ordine, ex aliis & aliis morbis cognoscendarum demonstrâsse sufficit.

No. II. Præsertim cùm ipse Hippocrates in *coacis prænotionibus* variationem Intemperati in ætatibus agnoscens C. 24. No. 1. dicat; *morbi hi ante pubertatem non fiunt, peripnevmonia, pleuritis, podagra, nephritis, varix circa tibiam, fluxus sanguineus, cancer non congenitus, vitiligo non innata,*

nata, defluxus dorsalis, hæmorrhois, chardapsus non connatus, horum morborum nullum ante pubertatem fere exspectandum est, verum ab anno 14. *usque ad* 42. *natura corporis morborum omnis generis ferax est. Rursus ab hac ætate usque ad annos* 60. *tres non fiunt, strumæ, neque lapis in vesica, nisi prius existat, neque destillatio dorsalis, neque nephritis, nisi ex alia ætate consequuntur, neque hæmorrhoides, neque fluxus sanguineus, nisi prius fuerit, hi usque ad senectutem absunt morbi.* Hic singulariter stupenda fuit *Coi* cautela, dum ubique monet, nisi priùs fuerit, ubi & characterem hæreditarium seu aliud fermentum intemperatum, morbosum prius existens intelligit, & sic quasi ex oraculo loquitur.

No. III. Sic & sæpè morbus unus mutatur in alium, sic ex pituita alba subinde venit aqua intercus; cholera virilis transit in senio in phlegma; & ut *Duretus* f. 54. ait, si cui salsuginosa sputa quiescunt, iis totum corpus veluti exanthematibus obsitum rubet, & tandem asperitate jam jam futura morte fit rigidum.

No. IV. Non solùm autem ætates varia præseferunt intemperata, sed & *Sexus* masculinus, ac præsertim fœmininus, uti quoque in præcedente Parte 2. Cap. 3. §. 6. edocuimus de temperie, inde est, quòd mulier â quibusdam quemvis morbum bis pati credatur, hinc & apud authores practicos mulierum morbi separatam sortiuntur rubricam, imò integra de his eduntur volumina; videatur *Castro*, *Saxonia*, *Varandæus*, *Spachius*, & plures alii. Sufficit hac in re nobis rursus Coryphæus noster *Cous*, qui præsertim modò dictô Cap. â 2. usque ad numerum 45. item 5. aph. â 28. usque ad 62. inclusivè, item prorrhetic. 2. p. mihi 315. & seqq. unicè de mulierum morbis tractat, qui loci videri poterunt; paginas enim præter rationem impleturi essemus, si omnia enumerare vellemus, solùm adhuc notare libet, fœmininum sexum magis hæmorrhagiis, ut virilis febribus, subjacere.

N. V. Nec subticendæ etiam diversæ cacochymiæ â diversitate quoque Clymatum, ac *Regionum* ortum suum trahentes, inde & morbi endemii, vernaculi, patrii seu genti-

tili-

tilitii ab intemperato quodam illi regioni proprió, velut caussa communi & vernaculâ sive ob alimenta sive aërem seu aquas veniunt; ut scorbutus in *Hollandia*; plica in *Polonia*; Rachitis in *Anglia* & sudore anglico dictò; apud *Græcos*, *Ægyptios*, & *Syros* elephântiasis; mentagra apud *Romanos* tempore Plinii; In *Alpibus* Bronchocele &c. ita ut ob tantam diversitatem clymatum, & inde emergentium cacochymiarum Medicus habeat, ut sedulò ad similia attendat, secùs oleum & operam perdet: Vide plura de differentiis temperierum & suô modô hîc applica: descendimus nunc ad

Eas *quatuor anni temporum* intemperies investigandas suscipimus, ubi reverà denuò immensa satis varietas sese offert: sequemur tamen iterum fidelissimum nostrum Ducem *Hippocratem* 3. aphor. ubi numero 19. consueto more â calumniantium lingua se præservare cupit dicendô: *Morbi omnes quidem in omnibus temporibus fiunt, quidam tamen magis in quibusdam ipsorum & fiunt, & exacerbantur*; pergit itaque aph. 20. â *Vere* incipiendo sic: *Vere enim furores & atrabiles, & morbi comitiales, & profluvia sanguinis, & anginæ & gravedines & raucedines, & tusses, & lepræ, & impetigines, & pustulæ ulcerosæ plurimæ, & tubercula, & articulorum dolores.* A vere progreditur ad æstatem aph. 21. ita loquens: *æstate autem nonnulli horum, & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ, plurimæ, & quartanæ, & vomitus, & alvi profluvia, & lippitudines oculorum & aurium dolores, & oris ulcerationes, & genitalium putredines & sudamina:* Post æstatem consequenter prosequitur autumnum, de quo aph. 22. hæc habet: *Autumnô verò & plurimi æstivi morbi fiunt, & febres quartanæ & erraticæ, lienis dolores, aquæ intercutes, tabes, stillicidia urinæ, lævitates & difficultates intestinorum, coxæ dolores, anginæ, anhelationes, volvuli, morbi comitiales, furores & atrabiles*: sed quemadmodum in omnibus suis scriptis, ut plurimum saltem, connexionem quæsivit, sic & hîc eam adamavit, devolvitur enim mox aph. 23. ad hyemem; de qua ita effatur: *hyeme verò morbi laterales, pulmonis inflammationes, lethargi, gravedines, raucedines, tusses, dolores pectoris, & laterum ac lumborum;*

borum ; *capitis dolores*, *vertigines & apoplexiæ* : Hæc modò adducta ita intelligenda esse velim, si ordinario suo cursui & requisitæ constitutioni respondeant, videlicet ut *Ver* nempe sit humidum calidum, *æstas* calida sicca, *autumnus* frigidus humidus, hyems verò frigida sicca, secus si & ipsa hæc tempora inter se inæqualia sunt, atque â nativa sua constitutione deflectunt, tunc & novum intemperatum, & alii morbi metuendi sunt, hanc in rem iterató clarissimè scripsit *Dictator* noster eadem S. 3. aph. 6. his verbis: *æstas veri similis, sudores in febribus multos exspectare oportet* ; pergit seq. aph. 7. ajens : *In siccitatibus febres acutæ fiunt, etsi annus magna ex parte talis fuerit, qualem fecerit constitutionem, tales ut plurimum morbos quoque oportet expectare* ; *econtra ut habet* aph. 8. *in constantibus temporibus, cum tempestivè tempestiva redduntur, morbi constantes* (ecce genium morborum) *& boni judicii fiunt: in inconstantibus autem, inconstantes & mali judicii.* Postquam dein autumnô perniciosissimos gigni morbos, ver autem saluberrimum pronunciavit (hinc & tertianæ vernales præ autumnalibus citiùs curationem admittunt) tempora meliùs incipit expendere aph. 11. ita : *De temporibus autem, si quidem hyems sicca & aquilonia fuerit, ver verò pluviosum & australe, necesse est æstate febres acutas, & lippitudines, & intestinorum difficultates fieri, præcipuè verò mulieribus, & viris naturâ humidioribus* : 12. continuat materiam pronuntians : *si verò hyems australis & pluviosa & placida fuerit, ver autem siccum & aquilonium, mulieres, quibus partus in ver incidit, exquacunque causa abortiunt, quæ vero parient, imbecilles & morbidos infantes edunt, ut vel statim intereant, vel tenues & valetudinarii vivant* ; *cæteris verò mortalibus difficultates intestinorum & lippitudines siccæ fiunt, senioribus autem destillationes, quæ citò interimunt* : nondum cessat, ut materiam totam exhauriat, quippe ponit aph. 13. hæc; *si verò æstas sicca fuerit & aquilonia, autumnus verò pluviosus & australis, dolores capitis hyeme fiunt, & tusses, raucedines, atque gravedines, quibusdam autem & tabes*: aph. 14. *si verò aquilonius sit & siccus, his quidem qui naturâ sunt humidiore & mulieribus conferet, reliquis autem erunt*

lippitudines ficcæ, & febres acutæ, & gravedines diuturnæ, nonnullis verò & atræ biles: tandem postquàm incommoda vitiosarum anni constitutionum graphicè depinxerat, concludit hoc suum pensum aph. 15. & ait; *ex anni autem constitutionibus in universum ficcitates imbribus sunt salubriores, & minùs mortiferæ*, cujus rationem mox, ubi de ventis egerimus, in medium proferemus.

§. V. Hanc meritò classem ingrediuntur & ipsi *venti*, pro quorum diversitate etiam variè alteratur, & intemperatum redditur corpus nostrum, cujus rei testimonium omni exceptione majus ipsius *legislatoris* Medici aph. 5. habemus quod sic sonat: *Austri auditum hebetant, caliginem inducunt, caput gravant, pigros & languidos reddunt; quando hæc tempestas prævaluerit, talia in morbis patiuntur. At si aquilonia fuerit, tusses fiunt, fauces asperæ, alvi duræ, difficultates urinæ, horrores, laterum dolores, & pectoris; quando hæc tempestas prævaluerit, talia in morbis expectare oportet.* Sic divinus noster *senex* probare & confirmare intendit, quod statim hac sec. 3. aph. 1. velut pro ingressu proposuit, nempe *mutationes temporum potissimum parere morbos, & in temporibus magnas mutationes aut frigoris aut caloris; & alia pro ratione eodem modo*: hoc idem repetit aph. 4. dum dicit: *In temporibus, quando eodem die modò calor modò frigus fit, autumnales morbi exspectandi sunt*: apparet ergò ab his & similibus plures easque diversas nobis conciliari alterationes & consequenter evenire intemperies.

§. VI. Prolixior, ut fatear, quod verum est, hucusque in exaranda Intemperati ab anni temporibus &c. emanantis multiplicitate fui, at crede, non sine singulari studio & operâ, à 30. & pluribus annis hinc inde in praxi gemens sæpè sæpius obstrepuit auribus meis, crises ab *Hippocrate* tanti habitas, uti & aphorismos ejus minùs ampliùs in usu esse, abolitos, imò nullos haberi posse; Verùm enim verò profectò similes aut ipsi non intelligunt, vel non ritè legunt ac examinant, mulò minus bene distingunt, vel potiùs non æquô judicant animô, sed per opinionem conceptam de hisce præceptis vel falsa hæc putant, vel prorsus inutilia, & hic maximô

maximô ægrotantes commodô, quod exinde aliàs hausissent, privant, *Cous* enim præcepta, & monita solida, & quæ perpetua, & in communi hoc, quo fluctuamus, mortalitatis pelago magni usus, & potestatis esse possunt, & acta sunt, condidit: Hinc Indefessus *Baglivus* recens scriptor Romanus de fibra motrice in specimine 3. reliq. libr. C. 2. dicit: *qui bene callet Hippocratem, felix erit in prognosi, aliâs minimè: Qui textus Hippocratis memoriæ ritè mandaverit, deinde componere simul, & ad curationem determinare noverit, feliciter curare & præsagire noverit: aliter minimè*: Ecce quanta commoda, quis non fructus? ideoque & ego candorem in *senem* nostrum hisce contestari, simulque declarare volui, omnes jamjam enarratas mutationes non alio ex capite, quàm ratione *aëris* (cujus proprietates Antiquis tam clarè nondum, ut modernô sæculô, innotuerant) tam diversimodè alterari; certum enim, imò saniori philosophiæ experimentali indubitatum est, aërem & gravitare & elasticum esse; πολύλογος forem, si utrumque multis probare contenderem rationibus & experimentis, dixisse hîc sufficit, hujus gravitationis authorem fuisse *Gallilæum*, qui aquam intra antlias aspirantes nunquàm altiùs quàm altitudinem in circiter 34. pedum ascendere primus observavit, eò quòd pressio aëris incumbentis æquipolleat pressioni seu altitudini aquæ pedum 34. Dein, quemadmodum inventis facilè est quidpiam addere, hanc rem magis, ut ejus scripta docent, illustravit *Torricellus*; accuratiorem autem dedit, imò absolvit *Boyle*, ut ejus monumenta de aëre abundè nobis testantur: *Aër* itaque *gravitat* (corpus enim materiale est) naturâ suâ, & pressione superincumbentis columnæ aëris, hinc in profundissimis cellis, & montium radicibus gravior est, quàm in suprema ædificiorum parte, aut montium jugis, ut satis ex Barometro cuivis constare poterit. Ast præter gravitationem etiam *elastica vi* præditus est aër, qua nempe compressus pristino se statui restituere cogitat, quemadmodum frondes & ramos arborum â nive v. gr. incumbente satis depressos, excussâ nive mox in altum surgere, pristinumque repetere naturalem suum locum observamus; sic & hæc ipsa

vis â pressione præcedenti dependet, quam tum primo restitutionem suam appetit, velut & in sclopetis pnevmaticis luculentum habemus exemplum: hæc ergo vis elastica nil aliud est, quàm innata aëris potentia, quâ ad majora spatia se pandere conatur; omnis elateris etiam fortissimi (compressi priùs) tota vis in conatu sese restituendi in situm, ê quo depulsus est, consistit: Hæc ideò proposui, ut declararem observandam esse aëris pro varia ejusdem in diversis annorum & temporum constitutionibus quoad gravitatem & levitatem naturam, quos enim effectus producit aëris gravitas v. gr. in baro- & thermometro, eosdem planè, imò longè majores, non tam in vegetabilibus quàm singulariter in animalibus, imò omnibus corporibus sublunaribus efficit: Nunc ut scopum nostrum attingamus, dicimus, quò frigidior est aër, eò magis gravitat, ut in hyeme, quò calidior, eò levior ut in æstate; Sic profectò dum furit boreas (etiam aquilo) licèt cælum serenum foret, tamen gravior est aër, quàm dum auster atmosphæram penetrat, & sic calida est constitutio, flante enim austro nonnulla pars crassi aëris in pluvias & nubes concrescit, quas halitus è terra sublati sustinent, & ita pondus imminuunt, idem etiam, quòd boreali tempore aër fiat multò densior, magisque compactus sic & magis gravis, præsertim propter vapores & halitus terræ cum eo arctè commixtos & in unum ferè corpus concretos, undè & aër magis gravitat, Inde quoque observatum fuit, quòd flante Borea asperior ob majorem gravitatem atmosphæræ observatus fuerit aër, quàm austrô, montesque nivibus pleni eminùs non ita distinctè cælô serenô, ut nubilô assolent, cernantur; adde quòd spirans aquilo ruat deorsum, & materiam infra ferat, contra auster eandem rarefaciendo supra attollat: prout ergò hôc, istô, vel illô modô aër variat, nempe plùs minùs gravis aut elasticus est, taliter mehercle etiam variè in res sublunares agit, corporaque alterat, dum æquilibrium fluidorum sustollit, transpirationes, & excretiones sufflaminat, spirituascentiam impedit, vel dissipat, & sic corpus mille modis mulctat; sic aër rusticanus multis præsertim phtysicis adeò conducit, sic loca montana aërem

benignum

benignum fere ſemper recentant, cùm non ita gravitet, & inde volatiliſationem cruoris humani ſummopere adjuvet, ita ut horum incolæ non tam longam quàm ſanam ducant vitam. Abrumpo filum, & ad alia digredior, hæc enim facem ad majora cogitanda luculenter præferunt, ut plura ſuper addere velle, eſſet crabem bis coquere.

CAPUT VI.

De Intemperati Subjecto.

§. I.

BRevibus hunc locum abſolvo, præſertim dum priori p. 2. C. 4. ſatis evidenter multis rationibus probavi, temperiei ſubjectum unice in ſanguine hujusque ſpiritibus vitalibus nidulari & quærendum, cùm itaque contrariorum eadem ſit ratio, quis non ſimiliter hæc fluida pro ſede intemperati agnoſceret? ſic eſt profectò, *ſanguis primario* (hinc etiam in venis cacochymiam conſiſtere, & duntaxat eſſe cruoris turbationem ajebat *Helmont.* de febr. (Cap. 4. No. 9.) Intemperati focus eſt, & pars affecta, ſolidas afficiens; *ſecundariò* etiam reliqui humores ab eo dependentes: Quemadmodum de ſanguine hoc nullo modo dubitari poteſt, ſic & de reliquis humoribus ab eo per glandulas derivatis piaculum erit dubitare velle, hoc enim quovis experimur momento, & ipſa etiam perſuadet ratio; qualis enim ſanguis, tales etiam ſunt reliqui inde ſecreti humores, inde eſt, quod maſſæ ſanguineæ acrimonia habituata acerrimos quoque producat catarrhos, tenues & ſalſos; tenax econtra ſi erit, in plura coacervabitur præternaturalia phlegmata, humoresque pituitoſos &c. adeoque manet ſtabile, firmum & inconcuſſum, reverà, omnis intemperiei ſubjectum unicè in ſanguine & ſecundario etiam aliis humoribus inveſtigari debere; â qua autem radice ortum ſuum deducat, idque propullulet, mox ſeq. C. patefiet.

CAPUT VII.

De Causis.

§. I.

NIhil æque difficulter ac causa proxima seu prima, ut vocat *Baglivus*, investigabile est; adeò ut, quamvis hucusque regulæ eam exactè investigandi magno quæsitæ fuerint labore, insudatum fuerit frustra & inani opera, præsertim quoad specificos aberrantes sapores, qui si nobis ad amussim innotescerent, feliciores in curanda lepra, scorbuto, lue Gallica & centenis aliis progressus in clynica facturi essemus, adeoque si & nos minus spe nostrâ nostrum assequemur finem, *Benevole Lector*, crede, nec nos meliorem aliis sortem nactos, & eidem fato subjacere. Interea cùm morbus sanitati è diametro opponatur, sic & intemperatum â temperato (veluti & id superiori p. 2. C. 5. præstitimus) dimetimur, candideque declaramus, *Omnis intemperati formalem causam proximam esse crasin quocunque modo â statu naturali degenerantem*: quod *materialem* concernit statûo, *hanc esse indecentem & improportionatam minutiarum malè figuratarum ac sitarum, nec non præternaturaliter* motarum aut quiescentium aut *magnitudine aberrantium* (& in hoc consistit vera cacochymiarum causa materialis) *nostrarum minutiarum mixturam ac texturam*, quâ nempe geometrica illarum innata proportio juxta quatuor absolutos primarios modos immutatur & invertitur; hinc quia præfatæ texturæ nucleus fere est ipsum acidum & alcali cum intertexto pingui, ideò etiam in hac ipsa textura læsa formaliter crasis vitiatur, morbosa evadit, morbosusque exurgit sapor, qui posthac has vel illas sæpe enormes in corpore turbas ciere potis est: doctrina hæc rursus Hippocraticæ correspondet, *non enim frigidum, calidum &c. sed & acidum & acerbum &c. & alia infinita omnigenas facultates habentia, copiamque & robur, atque hæc quidem mixta ac inter se temperata neque conspicua sunt, nec hominem lædunt, ubi verò quid horum secrerum (per turbatam*

rerum mixturam, quâ vel acerbum, vel acidum &c. in apricum venit) atque ipsum in seipso, tum conspicuum fit, & hominem lædit &c. Quemadmodum enim corpus noſtrum (& in eo omnes humores) materialiter ex quinque minutiis per ſyncriſin (unionem, & commixtionem) immediatè coaleſcit, taliter & illud per diacriſin (diſſolutionem, ſeparationem, aut ſecretionem) rurſus diverſimodè immutari, & hinc morbos producere valet. Conſideratur autem *dupliciter primo abſolutè*, ut in ſe eſt, veluti hucusque proceſſimus, & *ſecundo reſpectivè* prout nempe intemperatum dictum reſpectu ſenſuum noſtrorum (in quos movetur, & applicatur) ſe habet, quatenus â poſteriori, ex inductis ab illo alterationibus craſis deſtructa cacochyma cognoſcitur, ideò â *Coo* hæc per ſapores ſeu cauſarum morboſarum potentias explicatur, hinc calidum, frigidum &c. effectus potiùs & producta, morboſa ſunt ac ſymptomata, non cauſæ. Ex his omnibus, quæ nunc uberrimè produximus, in propatulo eſt, quòd (veluti omnis ſanitatis momentum in debito & naturali ipſius acidi & alcali volatilium ſaturationis, & â pingui temperationis puncto conſiſtere videtur) pariter ſic Intemperatum & & potentiæ Hippocraticæ ſalis cujusdam & ſulphuris ſecundùm minima in materiali texturâ variâ fundentur, & exinde eſt, quòd ratione harum non tantùm chyli & ſanguinis motus inteſtinus plùs minùs â naturali ſtatu recedat, ſed etiam quilibet humores mutuâ ſui (determinatis in locis) miſcelâ in diverſas & ſæpe anomales fermentationes aut quietes deveniant, prout nempe tales particulæ plùs minùs in enormonticitates rediguntur, aut econtrà quaſi ſupprimuntur, aut ſuffocantur, unde aliter eſſe non poteſt, quàm ut exin novæ (qualescunque demum) vitiatæ craſes emergant, quod deinde in corpore noſtro morboſum, ſeu qualitate eminentiori inſtructum & reliquos humores facilè ad ſuam diſponere & trahere poteſt indolem: Et hæc in genere dicta ſufficiant.

§. II. Major labor meherclè nobis ad determinandum ſpecificum Intemperati ſaporem, amarus an acidus &c. ſit, inſtat, quem laborem tamen,

No. I.

No. I. Plurimum allevabit ipſa paulò poſt ponenda cauſa proigumena & procatarctica, utpote quæ utraque magnam lucem in eruenda exacta cauſa primo-prima cæcitati fænerabitur.

No. II. Singulariter etiam ad *excreta ad retenta* reſpicere oportet: Huc trahimus primo ipſam *urinam*, quæ ſi intensè ruffecit, & taliter craſſa eſt, maximam profectò ſalium & ſulphuris abundantiã in ſanguine & humoribus innuunt, ſi verò econtrà aquea eſt & tenuis, vel horum defectum, aut horum in quadam corporis interioris parte hæſitationem denotat, adeoque in ultimo caſu pituitoſi quid latet, in priori meritò amari ſuſpicio hauritur; ſi pallida &c. doloresque urinarios excitat, acido adſcriberem; ſi verò tenuis, acris & copioſa excernitur, ſanè ſeroſam adeſſe cacochymiam ſcorbuticam præſumendum eſt. Secundò nec ipſa hìc *ſtercora* neglidenda ſunt, quæ ſi intensè fætent, & ſulphur ſolutum quaſi ſpirant, bilioſi abundantiam inſinuant, præſertim ſi flava penes & tenuia ſunt: ſi verò craſſa, ſcybaloſa, ſubnigra fuerint, planè acido ſalinarum particularum copiam præſeferunt; econtra ſi albeſcunt &c. inertiam chylificationis & defectum ſalium & bilis dicunt. Tertiò & *ſputum* magnum quoddam indicium præbere poteſt, quod ſi acidum, acidam; ſi amarum, amaram, ſi ſalſum ſeroſam, ſi denique inſipiduum, dulcem notificant cacochymiam, intellige in ſtatu tali: & ſanè lingua in morbis hiſce non minimus horum affectum gnomon eſt. Par eſt ratio *ſudoris* & ipſius vomitus.

No. III. Devenimus nunc quartò ad *ſanguinem* V. S. eductum qui ſi rutilus eſt, partium alcalium & inflammabilium, ſi nigricans fixarum abundantiam infert, ſi difficulter coagulatur & rutilat, Hectici quid minatur &c. ipſum etiam *Cerumen aurium*, ſi copioſius, amari index eſt exuperantis.

No. IV. Ipſa *qualitas corporis*, *ſi mutatur*; non minimum nobis declarat, qualiscunque enim eſt color cutis, talis eſt nutritio, & talis ſanguis, præſertim ſi ſecretiones partium penes ſunt depravatæ.

No. V.

No. V. Nec infimum monumentum in detegendo Intemperato (id eſt, an hoc vel illud morborum cauſa exiſtat) ſitum eſt in iis applicatis auxiliis, quæ exterius vel interius adhibita aut *juvant*, vel *lædunt*, hæc enim inſtar regulæ lesbiæ ſe habent; hinc ſi calida v. gr. in paroxyſmo febrili, aut etiam purgantia adhibentur, facilè lædunt, & vel paroxyſmos duplicant, aut febres ferociores & inconſtantes efficiunt; cùm enim â ſimilibus mediis motus humorum adhucdum magis intenditur, ſignum eſt, priùs jam cacochymiam amaram ſuam luſiſſe ſcœnam, quod ſingulariter in omnibus febribus ardentibus, inflammatoriis, Eryſipelatoſis obſervare debemus; econtra in peſtilentialibus (ubi multoties coagulum adeſt, nec non in pituitoſis affectibus, ea, quæ quietem fluidorum tollunt, & motum excitant, id eſt calidorum claſſi adnumerantur, maximè locum habere deprehendimus, quemadmodum & videmus, quòd ſæpe numerò peſſimè agant ii Medici, qui pillulas cephalicas ex acrioribus v. gr. cochiis, aureis &c. in catharro tenui, indeque exorto capitis dolore & obtuſione, præſcribunt, usque dum enim obſervavi, ſemper in pejus ruiſſe malum, utpote cum cauſa morbi, id eſt tenuitas ſeri magis magisque illis adaucta fuerit; Ubi diluentia, emollientia, lubricantia &c. conveniunt, indicatur ſtricturam & ſiccitatem partium adfuiſſe, econtrà ubi humidum caput erigit, magis exiccantia proſunt: Elixir proprietatis dulce ſeu aperitivum *Clauderi* magis in acida, & minùs in amara ſuum facit officium intemperiè, ſecùs cum vitriolato accidit: Innumera adducerem, ſi non tempori parcerem, ſufficit in hiſce limen tibi pandiſſe ad ulteriora; hîc tamen nolim exiſtimes, dicere me, licere ſic ad inveſtigandas cauſas proximas tibi in adhibendis remediis periculum facere, nam abſit hoc me â inſonte procul, is enim ſenſus eſt, quòd & ab illis, quæ vel alius ante te, aut tu ipſe ritè etiam adhibitis tuis indicationibus (quæ ſubinde etiã omni diligentiâ adhibitâ, præſertim ubi quid divini in morbis latet, fallunt) ob-vel prædeſſe obſervabis, bonam hujus vel illius cauſæ cacochymæ fieri queat indicatio.

No. VI. Singulariter Insuper ipsa *symptomata* causam proximam denotant, sic si pallor, sopor, pulsus exilis &c. adest, facilè pituitam peccare conjecturabis, utpote quæ minùs vivacitatis ob crassitiem habet; econtra si rubor in morbo quodam vultum tingit, arteriæ & venæ distenduntur, â V. S. tales juvantur, sanguis in causa est, qualitercunque deinde exorbitet; si sitis clamosa, tunc salsum & siccum culpandum est, & sic de reliquis omnibus.

§. III. Digredimur nunc ad ipsam (supra promissam) causam *proigumenam* seu antecedentem cacochymiarum, ratione cujus sanè ad Intemperati nostri, & inde natorum morborum uberem productionem non minimum pensum contribuit ipsa *nativitas*, dum quæ â parentibus & ipsis cacochymis ac morbosis ortum suum trahit; Quippe veluti intervallum rectarum inter se mutuò inclinantium lineàrum in appropinquationis puncto vastissimum facit spatium, præsertim quò magis & magis hæ lineæ producuntur, ita exigui â statu naturali decessus in utero insigne accipiunt, dum infans adolescit, incrementum; quid enim, quæso communiùs, quàm â parente v. gr. podagrico filium enasci & ipsum suo tempore podagricum? quem latet, phtysicum patrem etiam suæ proli talem quondam erupturam labem imprimere? an non idem fere quottidie experimur in calculosis, nephriticis? quò & singulariter magnum quid sæpè confert ipsa Mater, dum imprægnationis tempore vel ipsa aut irâ correpta nimis exardet, aut per causam manifestam plùs justò meticulosa evadit, aut quoque (ut in nævis maternis luculenter apparet) derepente insolito quodam accidenti insigniter terretur, quæ mala reverâ ipse posthac insons infans luit, hinc & ipsæ sic fantur matres, das Kind hat diese/ jene Kranckheit nicht gestohlen/ sondern in Mutterleib ererbt / oder gesogen. Secundò accedunt & ipsæ *naturales temperaturæ* dictæ, quæ sunt vel *naturales absolutè*, vel *ascititiæ*; ambæ plurimum intemperato congerunt, imò *ascititiæ* fere ipsæ intemperaturas nostras efformãt; *naturales* autem hoc præstant, v. gr. temperamenta pituitosa facilè ad chyli dulcis exuperantiam, & hinc ad insipidum seu dulce præternaturale disponunt, & sic de reliquis, Tertio

Quæ-

Quævis *ætas*, & utique *sexus* (veluti supra C. 5. edocti fuimus) suos habet peculiares morbos, sic revera agnoscunt hi & peculiares intemperies. Quarto nec ipsæ prætereundæ sunt *partes solidæ*, prout nempe sunt teneræ vel duræ, flaccidæ vel tensæ, molles an rigidæ, &c. rara enim corpora externis, uti densa internis patent injuriis, nam si corpus liberè non transpiret, & sanguis non difflетur, tum nec à suis fuliginibus expurgatur, inde hisce retentis diversa sanè exurgere potest intemperies; cum etenim diversa sit harum dispositio, sic & diversimodè injurias externas suscipiunt, excernenda retinent, retinenda excernunt, ex quibus nonnisi multæ humorum immutationes, & hinc necessariò intemperaturæ propullulant. His meritò & viscerum sanguinis depurationi aut perfectioni inservientium labes ac neglecta officia accedunt, unde novi asciscuntur sapores, & necessariò intemperatum fit corpus, quô totum ac quælibet ejus pars exin plùs minùs alteratur, qualis enim sanguis, talis totius est corporis habitus ac status; sic observamus non infrequenter, ulcera crurum &c. fatales sanguini ulcerosas affricuisse labes, & non raró inde funestas evenisse phtyses. Insuper quinto ipsum *solum patrium* intemperierum quàm feracissimum esse jam superiori Pte. sufficienter ostendimus, hinc & si varias meditamur nationes, experiemur insuper has ad pacem, ad bellum illas, istas ad ferociam, alias ad mansuetudinem; multas ad venerem, nonnullas ad hujus moderationem; non raras ingluviem, & bacchum, paucas ad Cererem & frugalitatem inclinare &c. quæ omnia certò à majori temperato vel intemperato unicè dependent. Sexto denique ibidem ex ipso *Coô* ipsa anni tempora morbos efficere abunde probavimus, ita ut meritò hîc filum abrumpamus, licet plura ex his ferè ad causas nonnaturales deducere potuissemus.

§. IV. Ordo nunc exigit, ut ad *causas procatarcticas* digrediamur, ait enim ipse *Cous* de Nat. hum. Sec. 18. No. 11. sic: *origo læsæ temperaturæ*, *indeque ortorum morborum partim ex Diæta*, *partim ex spiritu* (aëre) *quem attrahentes vivimus*, adeoque meritissimò locum hîc sibi vendicant sex res illæ, quæ nonnaturales nuncupantur, v. gr. aër, cibus &

potus, motus & quies, somnus & vigilia, excreta & retenta, & denique animi pathemata: Hæc est illa causa, quæ in sensus nostros incurrit, & quæ primam profectò viam ad quodvis intemperatum sternere habilis omninò censenda est, cùm illâ minutiarum sanguinis textura spirituumque motus & variè immutari, & sulphur dissipari, imminui, aut exaltari queat; morbis enim quasi initium subministrat, â προκατάρχειν â motûs initiô: nunc per ordinem hasce examinare placet.

No. I. Se offert *aër*, de quo satis fusè, saltem sufficienter discurrimus in *nostra Basi Med.* L. 4. C. 1. §. 3. imò qualiter intemperaturas afferre queat, jam in hoc tractatulo C. 4. & hîc §. 3. insinuavimus; unicum adhuc memoro aërem profectò, qui reciprocâ respiratione propriâ gravitate in pulmones irruit, innumeris particulis insignes facultates Hippocraticas salinas possidentibus, & quasi tot diversis fermentis impraegnatum esse, imò *Rochas* non sine ratione, oculari eoque firmo experimento, confirmatus, eundem sale hermeticô universali, varias in distinctis rationibus determinationes suscipiente plenum statuit; Vera hæc imò verisissima esse ipsimet testabimur, si consideramus, tempore veris putrem resolutam glebam copiosissima exhalare miasmata salina admodum fermentativa, quæ posthac de novo quasi sanguinem nostrum inspiratô hôc fermentô animant, ut sic annosi sæpè & clandestini morborum fomites potenter exacerbentur; ut sufficienter C. 4. edocti fuimus: Addimus adhuc unicè *contagia* in distans etiam operantia, quæ reverà aër amplô sinu, præsertim inter tumultus & inordinationes bellicas, fovet; quæ enim ab his non ataxiæ, quæ non discrasiæ sanguinis & humorum, imò quæ non clades &c. oriuntur? loquantur loca febribus pestilentialibus aut malignis infesta, aut regiones scorbuti feraces, ac ipsa mala contagiosa abundè assertum meum comprobabunt, ideò sileo ego, & ad

No. II. Ad *Alimenta* & *Potulenta* transeo, ab his Intemperatum propullulare rursus oraculum *Coum* lib. cit. S. 25. nobis clarissimè exprimit his verbis: *Quin & ex cibis, quicunque nobis incommodi sunt, & ingesti hominem lædunt, horum*

rum unusquisque aut amarus est meracus, ac intemperatus, aut salsus, aut acidus, aut alius quis intemperatus & fortis, & propterea turbamur ab ipsis, quemadmodum etiam ab his, qui ex corpore excernuntur: Omnia autem, quæ edit, aut bibit homo, talia edulia palam est, minimè hoc intemperato & dissidente ac excedente succo participare, velut sunt panis, & maza, & his similia, quibus assuetus est homo plurimis & semper uti. viden! quàm paucis describat lineis exactam hominis diætam, & salubrem & insalubrem, quàm pleniùs mox seq. sect. 26. explicat inquiens: *robur & augmentum* (corporis nostri) ac *alimentum* (nutritio) *præsertim per nil aliud contingit, quam quod probè temperatum est, & nil habet intemperatum neque fortè*, id est nullô excessivô & noxiô sapore præditum, hinc enim, si excedit, dum nostri corporis potentiis occurrit, mox alterat, motum fluidorum vel imminuit, vel auget, adeòque intemperata hæc efficit, præsertim si priùs similibus excessivis facultatibus nunquam assuefacti fuerimus, dandum enim est multùm consuetudini, cùm & ipse noster *Senex* 2. aphor. 20. clarè statuat, *consueta longo tempore etiamsi deteriora sint, insuetis minùs molesta esse*; quemadmodum & hoc ipsum in venenis & medicamentis multoties accidisse legimus; quid? nonne Ephem. Decur. 2. an. 8. obs. 44. nos docent Gentes orientalis Indiæ opio ita successivè assuefieri, ut tandem etiam singulis diebus drachmam unam (ubi tamen nostri vix unum aut alterum granum impunè sæpè tolerant) cum euphoria assumant. Utut autem hæc de assuetis, qualitatis respectu, verificentur, non tamen censendum est, idem quoque de assumptis in nimia quantitate intelligi posse, adeoque hæc doctrina cum grano salis sumenda est, plures enim jam occidit gula & nimia commessâtio, quàm gladius, hinc perbellè canit miserandus cæteroquin *Ovidius*

Parcite mortales dapibus temerare nefandis Corpora.

non enim nisi crudeles & mille modis noxiæ eveniunt ventriculi cruditates millenarum intemperierum autores, vitiosa enim chylosis vitiat & hæmatosin, dum error sit in sanguificatione nunquam corrigendus, quippe quocunque modo corruptus chylus debitam sanguini volatilisationem nullo æ-

vo concedet, maximè cùm perfectionem in duodeno nullatenus ampliùs admittat; hoc idem contingit, si & bilis & succi pancreatici vitium simul concurrit, unde â sanguinis motu intestino vitiotioso nonnisi iste intemperatus, & inde corporis intemperies exurgit; Atque prout hoc etiam ab assumptis procedit, sic potest etiam ab inspiratis seu susceptis provenire. Hoc idem & de diversitate ciborum nimia sentiendum, ut denuò *Cous* lib. de veteri Med. innuit, inquiens: *ciborum diversitas, morborum sæpissimè ac mortis causa est*, quò enim simplicior est victus, eò melior, & si simplicissimus, optimus; hinc potissimi magnatum morbi enutriuntur, atque ii utplurimùm de ventriculi imbecillitate conqueruntur; nec mirum, considera, precor, eorum edendi morem, & depræhendes tantam ciborum sibi ipsis in totum contrariorum varietatem ingerere, ut si etiam coquus expertissimus in unam redigere cuperet massam, sed gratam, & temperatam, & gustui acceptam, nunquam efficeret, dum viveret: Perpende tecum rem hanc meliùs, & mihi mehercle confestim assentieris. Quod nunc de alimentis astruximus, hoc idem fere de potulentis dictum esse volumus, & quà tam de his, quàm etiam de reliquis rebus non naturalibus v. gr. somno & vigilia, motu & quiete, excretis & retentis ac animi turbationibus in *nostra Bas.* L. 4. C. 2. §. 4. & seq. jam, quantum necesse est, egimus, ideò hîc filum rumpimus, benevolumque lectorem (ne actum agamus) eò dimittimus.

§. V. Quemadmodum post causas morborum omnes Practici solent symptomatum rationes annectere, sic & hîc ordo idem â nobis expostularet; Quia verò (ut hucusque hinc inde præsertim ex signis diagnosticis patet) tanta est accidentium myrias & malignitas, ut finem scribendi nunquam attingerem, si omnium origines in scœnam producere cogitarem, idcircò impræsentiarum (dum omnia hæc fere ab una radice, modificatione nempe morbosa, ut ad nauseam confirmavimus, promanare soleant) paucorum origines (ut ex ungue leonem cognoscamus) demonstrabimus. Et quia hisce omnibus in casibus varii, iique sæpè crudeles & exitiales dolores (in intemperaturis frequentiùs consistentes) caput erigunt,

rigunt, quapropter & potissimùm horum assignabimus fontes, quod & summa â nobis exigit necessitas, hi enim sæpe adeò humanum arietant corpus, ut & ipsam asciscant mortem; hi appetitum dejiciunt; somnum fugant; vires enervant; spiritus animales vel extingunt, aut in motum irrequietum imò & irregularem concitant; inde sensus hebescunt, febres continuas accendunt, convulsionumque authores sunt, imò centena alia accersent, ut meritò hostis hic Medico sedulò sit observandus, quò sic gratior dolorem mitigando sit ægro, æstimationique suæ & fortunæ ac famæ viam pandat meliorem. Hîc applica, quæ in *Basi nost. L.* 1. *C.* 10. *de sensatione* notavimus, & facilè, quid propriè dolor sit, & in quo fundetur, cognosces; Respicit autem omnis dolor sensum tactus, nam dum hic quocunque modô depravatur, molestia ex vitiosa objecti in organum impressione exurgit, quæ dolor dicitur, & definiri potest, *quod sit sensatio tristis â motu fibrillarum nervearum irregulari & violento orta*; dicitur *motus*, ratione cujus etiam convenit cum sensu omni externo, li *fibrillarum nervearum* dicit subjectum, τὸ *irregularis* verò & *violentus* innuit in specie dolorem quemcunque, & quia diversæ fibrillarum nervearum concussiones esse possunt, hinc clarè patet, etiam diversas oriri posse doloris species, prout nempe anima hanc vel illam efformat in cerebro idæam, siquidem anima tantùm insuetos nempe violentiores fibrillarum motus appræhendit, & de illis judicat, quod & & qualiter corpori acciderit, quo in casu portitores, spiritus animales, munere *causæ formalis* funguntur, *causa* autem *materialis* est vel *interna* in humoribus cacochymis consistens; vel *externa* quodlibet corpus violenter movens, & quia utraque omninò multiplex est, hinc etiam innumerabiles fere dolorum differentiæ fiunt, & quidem *triplices*, desumuntur enim vel â *parte affecta*, vel *secundo* â *causa*, vel *tertio* ab *utraque simul*. Quæ â *parte affecta* denominationem habent, sunt fere sequentes: primo consideratu dignus est *dolor pulsatorius*, *Græcis* σφυγμώδης, â σφύζω, pulso, palpito, hinc σφυγμὸς pulsus; hic communis est arteriis, seu potius partibus inflammatis arterias continentibus, & clarè apparet in par-

partis cujusdam ex spina infixa inflamatione exortâ : si hujus *causam* indagas, invenies, eam esse nimiam partis dolentis â sanguine arterioso factam repletionem, hincque convulsivam fibrarum structuram, ac illius inæqualem per partem affectam propulsionem; accidit potissimum in inflammationibus, aut etiam fortioribus membranarum tensionibus, v. gr. in cephalagiis multis. Secundo sequitur *dolor pungitivus* seu *punctorius* νυγματώδης â verbo νυσσω seu νύττω, pungo; proprius hic fere est ipsis partium membranis, dicitur & acutus; deprehenditur, dum quasi ex improviso locus quidam membranosus repetitis vicibus acu tangi (dolore hoc ad magnum spatium se distentente) videtur: contingit in pleuritide, partim quia arteriæ obstruuntur, sicque inæqualem motus sanguinis contrahunt, & ideò inæqualem pulsum patiuntur ægri; Quia verò fibræ hic plerumque (si non maturè subvenitur) in cincinnas dissiliunt, & sic motus progressivus in intestinum transfertur, ideò & salia pro diversa figura, & hinc diversa fibrillarum vellicatione suam ludunt scœnam labis præsertim acris & figuræ hispidæ acutæ (nam reverà particulæ lymphæ aut sanguinis extravasati hisce aculeis & spiculis turgidæ fiunt) non immunia, unde tandem ex hac lucta & actione inflammatio partis, & etiam putror ipse sequitur, ut & in abscessibus externis fieri, ipsi nos oculati testes esse possumus; vide, quæ de pleuritide communiter authores de hoc dolore afferunt. Succedit tertio *dolor tensivus* seu distendens διατείνων, â διατείνω, extendo; hic tangit nervos, ut apparet in convulsionibus, ac crampo seu spasmo flatulento; sic in odontalgia pars capitis dimidia tendi apparet, sic ex flatibus abdomen distenditur, dum membranæ partem solidam investientes spasmô contrahuntur, & exurgit tensivus; dum eædem membranæ cavitatem efformantes replentur, itidemque ex irritatione simul spasmô contrahuntur, unde tam ex repletione, quàm tensione dolor distendens magis exoritur, ubi certò rursus vitium qualitativum seu cacochymum sive quoad situm, sive quoad quietem suam agit personam. His annumeratur & quarto *dolor divulsivus* seu *lacerans*, & *lancinnans* διασπῶν, â διασπάω, distra-

diſtraho, divello; accidit partibus, quæ ſunt tunicis inveſtitæ, ut caro muſculorum, panniculus carnoſus, tendines, crurum præſertim &c. hinc ſcorbuticis non infrequenter accidit, & utut in puncto ſaltem ſubinde affligat, per conſenſum tamen integrum membrum afficere poteſt; *cauſa* eſſe poteſt acre quoddam lixivioſum plùs minùs urinoſum ſed volatile, & hìc plures fibrillæ ſimul & ſemel ab hiſce ſpiculis feriuntur. Quinto trahitur & huc meritò *dolor*, qui vocatur, *terebrativus* ſeu *perforativus* σκόλοπος â σκολοπίζω, palô trajicio, nempe hoc in paſſu pars quædam palô aut terebrâ trajici creditur, ut fit in clavo capitis, cephalæa, craſſis inteſtinis colicâ humoroſâ affectis; dolor hic fixus ſatis eſt, videturque â viſcido quodam plùs minùs acidô forte & auſtero ac acerbo, parti cuidam compacto dependere. Accedit ſexto *gravativus dolor*, βαρὺς ponderoſus, â βάρος pondus, onus; communis partibus cæteroquin non valde ſenſibilibus & obtuſo tactu præditis, v. gr. pulmonibus, Epati lieni, renibus &c. licet his & ſæpè, ſed ex alia ratione, etiam auctus accidere queat, quod tamen potius membranæ cingenti eſt attribuendum; provenit ut plurimùm â materia viſcoſa, terreſtri, ſuperabundante, flatibus, & cruditate obſtructionum principio, adeoque cacochymia. Inſinuat ſe non inconcinnè hìc ſeptimo *dolor perſultans* dictus, græcè ὑπερπηδάων, â ὑπερπηδάω, tranſilio, ac fere in meningibus cerebri contingit, ibique tanquam ex radice ortus repentè in circumjacentes partes tranſilit, quod non tam â materia ſatis volubili, acri tamen, quàm etiam ab inordinato hinc facto ſpirituum motu provenit, meritò doloribus vagis adſcribitur. Tandem octavo venit *dolor* appellatus *frangitivus* & *profundus*, ὀρεοκόπος, ab ὀρεόν, os, & κοπιάω, fatigo, laſſo, perioſtio familiaris, habetque imaginem, quaſi ipſa oſſa aut medulla in oſſibus dolerent; **daß Marck in den Beinen thut mir wehe/oder das Fleiſch fält von den Beinen/** conqueruntur, verbô ſentitur quaſi oſſa fracta aut contuſa eſſent; ſentitur plerumq; in lue venerea, aut in iis, qui quartana laborant, aut qui laboribus minùs aſſueti, vehementiùs in his ſeſe exercent, v. gr. dum vir litteratus per notabile tempus ligna findit, aut terram fodit &c.

subjectum immediatum est periostium, affligitque in morbo gallico fere tantum nocturno tempore; hujus *causa* absoluta videtur esse acidum quoddam austerum, fixum, sæpe corrosivum quasi aqua stygia, seu potiùs arsenicum, hinc & tam enormes partium, imò etiam ossium erosiones & caries tolerandæ sunt.

§. VI. *Secunda dolorum differentia* habet singulariter suam denominationem â *causa*, unde dolor primo alius dicitur *mordax* δακνώδης â δάκνω mordeo, aut rodo, ubi rosio quasi â vermiculis facta persentitur, multùm fere convenit cum pruriginoso, de quo mox; Exemplum hujus præbet fere cardialgia. Secundò fit etiam *dolor exasperativus* salsis catarrhis familiaris, unde raucedines & tusses ferinæ, & â siccitate inducta, & hinc inæquali partium internarum asperæ arteriæ &c. superficie exortæ, ubi plerunque salia macra, acria, prædominium sortiuntur, facilè exhalantibus aqueis. Tertiò huc spectat & *dolor*, *compressivus* appellatus μ⁊ θλίψεως, â μ⁊, cum vel con, & θλίβω premo seu stringo; dicitur hic quidem compressivus, meliùs tamen constrictivi seu spasmodici nomen meretur, dum reverà â spasmodica constrictione partium procedit, cujus sæpe levis causa est saltem irritans acris, aut etiam salsa, hinc instante tantum cibationis mordicationem quandam circa superius ventriculi orificium persentimus. Quartò his annumerant multi *dolorem contusivum* μεταθλάσεων â μ⁊ & θλάω tundo, qui potissimum ex lassitudinibus â labore progerminant, quia verò potiùs â præscriptis spiritibus & attritione partium provenit, & â nulla alia causa, ideò de illo hìc parum solliciti sumus, tales ægri utplurimùm conqueruntur, es seye ihnen/ als wann sie gerädert / und zerschlagen wären.

Tandem etiam aliquid de *tertia dolorum differentia* in medium proferendum est, nempe illa, quæ ab utraque tam â parte affecta, quàm causa derivatur, ubi primo se offert *dolor tensivus* τόνος, labor, molestia, & τονώδης â τείνω tendo, ubi partes quædam tensæ sunt, ut videmus abdomen tendi in tympanitide &c. vide quæ supra in secunda dolorum differentia No. 2. asseruimus. Secundò est *ulcerativus* ἑλκώδης

ab

ab ἑλκόω ulcero, uti evenit in abſceſſibus, ſcabie humida, dependetque ab erodentibus ſeu alcalicis ſeu acidis corroſivis & exedentibus ſalibus, & ſanguinis, aut aliorum humorum particulis. Tertiò denique ſit *pruriginoſus* κνησμώδης â κνήθω, ſcalpo, frico, pruritum facio, quaſi vermiculi fodicarent & roderent, agnoſcit fere eandem, quam dolor mordax, cauſam. Silebo denique differentiam, quæ â *motu* deducitur, ubi alius dicitur *fixus* & ſtabilis, alius *vagus* & erraticus, ſic eſt arthritis fixa & vaga &c. quia minùs ad intentionem noſtram facit.] Alia accidentia ſiccô præterimus quoque pede, utpote alibi obvia & enucleata.

CAPUT VIII.

De Prognoſi.

§. I.

PLurimùm ſanè intereſt noſſe intemperatum ſeu ſtatum cacochymum, Intemperies enim hæc fluidarum profectò principalis & efficiens omnium â ſanguine & humoribus propululantiũ morborum fere cauſa eſt, hinc licèt hæc poſſibilis ſit absque febre, vix tamen datur febris (ſi fortè ephemeram excipias) absque cacochymia, atque tametſi vulnera, luxationes, fracturæ &c. per ſe ſint abs omni Intemperie, attamen leviſſimô negotiô accedit hoc cum dolore, rubore, tenſione &c. & ſic jam intemperatum noſtrum ſuam ludit ſcœnam; ſic omnes febres etiam ſymptomaticæ, phtyſes, ſcabies, ulcera, tubercula, Rheumatiſmi, diarrhææ, dyſenteriæ, dolores cuncti, affectiones hyſtericæ, & hypochondriacæ, ſcorbutus quilibet, pſora, herpetes, cancri, ſcyrrhi, tumores, inflammationes, hydropes, & centena alia vel ſemper vel plerunque ſaltem ſuum agnoſcunt intemperatum in ſaporibus vitioſis fundatum: Quò ergo dein plus minùs talis ſapor â nativa ſua indole deflectit, eò quoque pejor curatuque difficilior exiſtit affectus, & hinc eſt, quòd v. gr. cancer (niſi & fermentum ejus â ſanguine radicitùs evacuetur, ipſeque totus extirpetur)

adeò manus etiam expertissimi Chyrurgi deludat; elephantiasis integram sui eradicationem respuat, podagra tolli nesciat, nec non alii quàmplures affectus incurabiles dicti omnem etiam solertissimorum Medicorum conatum irrideant. Econtra, qui temperato sunt sanguine & moderatè fluido instructi, nec tam facilè, ut cacochymi corripiuntur morbis, & si quandoque quid adversæ valetudinis experiuntur, fere sponte & suapte pristinæ restituuntur naturæ, dum ex adverso in summo intemperati gradu laborantes sæpe opinione citiùs fatalem suam obeunt diem: Ratione durationis cacochymiarum egregiè nobis inservit, quod adducit *Baglivus* de fibra motrice f. 294. sic inquiens: *cum secundo sint in sanguine prima ac præcipua principia acidum & urinosum, prout hoc aut illud in eo dominium obtinent, universa massa simili naturâ inficitur; sed acidum regnat, & author est* chronicorum morborum; urinosum (potiùs ego acidum oleosum, volatiles quippe intensissimos æstus febriles spiritibus urinosis extinctos, ut alibi doceo, fuisse scio, incuso) verò acutorum, quod summopere scire convenit ad morbos rectè dignoscendos & curandos, nempe pro hac vel illa prognosi facienda; sic & dulce Hippoc. tardæ & lentæ, acrimonia econtra citioris (modò non exasperetur) curationis morbos producit; si intemperatum corrosivum est, non solùm molles adoritur partes, sed etiam ipsis non parcit ossibus, ut videre est in lue venerea, ipsique credibiliter affini spinâ ventosâ: si summus cacochymiæ gradus jam adest, raro quid boni sperandum, malum enim nimis altas jam egit radices, & raro sine noxa solidarum partium eò devenit, dum verè habitum jam contraxit, ac quasi in naturam transiit, ubi verificatur ad unguem illud, quod poëta cecinit.

Naturam expellas furca, tamen usque redibit;

adeoque cura absoluta nunquam, palliativa tantum subinde locum invenit. De *doloribus* hæc habe ex ipso *Coo*, qui in *coacis prænotionibus*, dicit: *dolores ex infernis supernas partes petentes pessimi*, quod & in hoc loco paulò inferius repetit sic: *dolores inferni ad præcordia ruentes mali, præsertim si alvum humidam habent*; ibidem: *oris ventriculi dolor in senibus sæpè repetens*,

repetens, lethalis; *item principia ægritudinum ex dorſi dolore difficillima*; mox ſubjungit: *dolores in pectus cum torpore firmati, repentinam mortem denotant*; addit ſtatim poſt: *affectus ex lumbis ad caput tranſeuntes, levis ſiderationis modo reſolventes, convulſorii ac mentem emotorii ſunt*: item *lumborum dolor ſine cauſa manifeſta ſæpe repetens, regium vel malignum morbum denotat*; hoc ipſo in loco memorabile eſt & hoc, de quo dicit: *dolores ſupra umbilicum & lumbos, qui medicamentis non ſolvuntur, in hydropem ſiccum terminantur*: Multa alia in ipſo *Coi* fonte videri queunt, quæ brevitatis ergô ſileo: unicum addo, videlicet variare prognoſin pro circumſtantiarum ratione, in genere tamen nullus dolor, ubi tandem ſit, negligendus eſt, ſemper enim aliquid mali portendit: vide *Hildanum* Cent. V. obſ. 7. de aliorum ſymptomatum prognoſticatione nil addo, utpote quòd de iis authores fere omnes ſatis ſcripſerint.

CAPUT IX.

De Curâ.

§. I.

CUm vix, ſaltem generali, curandarum cacochymiarum methodo eruendæ manum & operam admoveram, ecce videbatur immenſus denuò mihi aperiri campus, quem & amænitate loci & picturâ mille florum medicorum illuſtrem mox ingreſſus, ſingularem animi concepi voluptatem, & quaſi meipſum de penſo meo feliciſſimè abſolvendo in gratioſa hac ſolitudine optime ſperare juſſi; Quapropter, ut curam priori meæ doctrinæ conformem è limpidiſſimo veritatis Aſclépiadeæ fonte haurirem, primitùs nullitatem humorum Galenicorum juxta *Baſin* l. 1. Cap. 6. per totum, maximè §. 130. agnoſcens etiam novum medendi modum meditari cæpi; ſed vix incepi, ecce ipſe *Galenus* (quem inſignia quatuor humorum prodiderant) cum præpotenti aſſeclarum ſuorum & grandævorum, ſenioque ſpectabilium phalange ê proximo ſpecu gravi incedere pede videtur obvius, qui primò

contorto me intueri vultu, mox frontem contrahere, imò fremere, dentibusque ſtridere, jam calcitrare pedibus, vultumque in minas convertere, & tandem indigabundus muſſitare, atque in hæc fere verba ſeſe effundere cæpit: Quousque, *Vicari*, laceſſes manes noſtros? quamdiu adhuc abuteris patientiâ meâ? & ingratus in ſcholam meam (in qua *Viennæ* per quatuor annos innutritus es) debachaberis? tu tune ille, qui contra me, qui contra venerandos & illuſtres hos (digitô ſuos ſequaces monſtrabat) viros inſurgere audes? auctoritatem habemus, tune ab ea nos dejicies? Quis, amabo! etiam ex tuis corrivalibus in febribus calorem, in cachexiis frigus, in hectica ſiccitatem &c. hodiedum denegat? quis non in ſanguine per V. S. evaſato ſuis Clientibus inculcat melancholiam adeſſe, aut choleram & bilem prædominari, aut ſuperabundare ſerum, inde & hos meritò ex corpore eliminandos eſſe: Et tu eosdem denegares? unde diarrhæa niſi â facultate retentrice læſa? quæ ideò reſtituenda, & tu etiamnum facultates irrides? ſi hæc te non movent, moveant te commoda & refocillamenta, quibus meos cohoneſto; ecce ê ſchòla meâ Inſignes Archiatros, *Craſos*, *Celſos*, *Thiermayerum* (Germanorum Galenum dictum) *Riolanos*, *Sennertos*, *Sorbaithios &c.* eccè Archiatrorum meorum ingentem numerum, Excellentiſſimorum Phyſicorum vix enarrabilem copiam, Profeſſorum denique celeberrimorum integram aciem, & tu eos ſequi averſaberis? methodumque meam morbos tollendi intemperatos rejicies? Quid, adhucdum plura cupis? viden quantos non honores, & quantas non divitias

(*dat Galenus opes*)

in eos cumulavi? atque vix non Principes & Magnates conſtitui, tuque mechanicâ tuâ doctrinâ etiam modò quoad curandi methodum deliteſcere, ac glandibus præ frugibus porcorum more veſci malles? deſipis planè ſi cuncta hæc flocci pendis, & reſpuis; ſape ergò, & hypotheſibus meis, quas primitùs doctus es, denuò inhære, meamque cole curandi normam, & facti te non pænitebit; errare humanum eſt, perſeverare autem damnoſum & abominabile, reaſſume ergò animum

nimum & resipisce. Hæc & alia dum eloqueretur ingens mussitatio & murmur inter *Galenistas* oboriebatur, mox verò & hi me blanditiis ac vario argumentorum genere in suas partes trahere conabantur, jam & donis arietabant; dum verò assensum nondum extorquere valebant, ecce singuli in me minas spirabant, imò fulmina cudere velle videbantur. Hæc dum titubante pede tremebundus conspicio, en derepentè altum exurgebat silentium, quin horror quidam & tremor omnes eorum artus invadebat, ego verò (quid rei esset) inscius subitò â tergo blandè per humeros trahor, & dum me retrò verto, Ecce astabat vir *Senex* omnium venerabilissimus, barbâ spectabilis, vultu hilaris, gressu gravis, & totus in blanditias ac amorem compositus, qui mox me manu arreptum subridendo ita affatur; bonô animô, mi *Vicari*, esto, ne cespites in tuo opere, sed strenuè perge, ego tuus *Coryphæus* sum, quem quasi resuscitas, verbô tuus sum *Hippocrates* è schola *Coa* eductus, & natus anno mundi 3500. denatus verò *Larissæ* in *Thessalia* anno 3609. Parens meus fuit *Heraclites*, &, si dicendum est, ut res se habet, continuatâ serie ab ipso descendo *Æsculapio* à quo 18. sum, familiaque mea fere 1000. annis in arte Asclepiadea stetit; Quæ scripsi, nota orbi, notissima tibi sunt, utinam singula eadem genuinæ meæ proles essent, quæ hodie sub nomine meo venditantur, variam enim imprimis incendiis bibliothecarum passa sunt fortunam, & posthac adulterationem: Ipse *Galenus* (qui me illustrare videri voluit, & annum 70. non superavit,) non infimum stigma mihi inussit, dum *Aristotelis* dogmata ceu fundamenta scientiæ naturalis (ut legisti in *Ettmul. fundam. Med. veris p. 5.*) in scholas Medicorum pessimô consilio introduxit; inde & â meo tempore (ut optimè scribit *Helmont. in præfatione de febb.*) Medicina stetit, ac quasi præmaturè, quòd mea neglecta sit observandi methodus, occubuit; Grates habeo *Baglivo*, qui denuò Eam resuscitare intendit, grates & aliis, qui illam sequuntur, grates singulariter Recentioribus, qui sedulâ & strenuâ observatione expoliunt, & exornant; Quare, *Vicari*, minas & fulmina *Galeni* ejusque sequacium non time; si authoritatem prætendunt,

dunt, ecce major est mea; sit in febribus calor, in cachexia frigus &c. non tamen in his affectuum istorum essentia consistit, sed sapores respiciendi, sanguis certè liquor homogenus in se est, inde humores Galenici figmentum; facultas retentrix læsa commodius utique à remisso fibrarum robore deducitur; nec denique moveant te divitiæ, nec honores, nec minæ, ut à verò sentiendi de re & sanandi tramite devies; anne ergo tibi hucusque quidpiam defuit? secutus es hactenus aurea mea scripta *de veteri Medicina*, & alia, sequere & imposterum illa, præsertim *aphorismos* & ducam te fideliter, ac sic

Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt,

etiam apud seram posteritatem; & ecce ipse *Galenus* veritate nostrâ convictus cum universa sua turma jam excessit, erupit, evasit; Quare posthac ordina curam tuæ hypothesi conformem, nec opus tam sacrum desere, ego indefessus tuus custos, dux & comes ero, quibus dictis evanuit, itaque hisce totus, quantus sum, exhilaratus, sequentes indicationes utiles pro auferendo nostro intemperato elicui.

§. II. Quemadmodum hac in parte C. 4. omne intemperatum in linea prædicamentali morbi intemperieî (tametsi hucusque à Medicis potissimum, ut affectuum præternaturalium causa consideratum fuerit) collocavimus, idcircò & hîc jure meritissimo omnium *primo: Indicatio curatoria* primas tenet, inde laudabiliter eò annitimur, ut vitiosa molecularum sapidarum & aliarum quoad motum vel quietem, situm, & figuram modificatio in naturalem reducatur & sistatur statum, quò sic rursus requisita redintegretur temperies, & sic omne cacochymum ê medio sustollatur; verum enim verò cum quivis morbus omni adhibito Medici conatui nunquam cedat, quousque ejus causa in corpore perseverat, ideò mox *secundo* ad *Indicationem præservatoriam* digredimur, quæ reverà in nostro foro maximi semper ponderis esse censenda est, quousque enim hæc non omninò eradicatur, æthiopem in averruncanda omni cacochymia lavamus & incassum desudamus. Operæ hic pretium foret, quæstionem illam mihi olim in publica disputatione Præsidenti (an in morbo quodam curando causa hujus nomen, li *præ-*

serva-

servatoria, sustinere possit?) objectam decidere, quia verò instituti mei, similibus controversiis diu inhærendi, non est, repeto brevissimè quæ respondi, nempe: morbo deberi indicationem curatoriam, accidentibus ejus symptomaticam, viribus vitalem, & tandem juxta omnes tam veteres quàm recentiores causæ præservatoriam, nec notum mihi esse aliud nomen, Replicabatur quidem, li *præservare* denotare duntaxat prophylaxin, & præcautionem morbi, hunc verò jam adesse, adeoque præcaveri non amplius posse &c. hoc tamen non obstante, regeri servari (ne multiplicentur entia sine necessitate) tamen antiquum nomen, præsertim cùm, qui causam aufert, etiam morbum sufferat, adeoque in hisce esse quæstionem de nomine, & disputari de lana caprina, parùm enim meâ interest, sic vel aliter rem intitules, modò intelligatur quid rei sit, & tritis vestigiis immoremur, nec enim cavillationes verborum, sed res æstimandæ sunt; verum ad rem; Quod ergò hanc indicationem concernit, omnium primò *quoad causam formalem* præservatoriè ipsius craseos humores & sanguinem ac horum motum concernentis naturalis expostulatur redintegratio, quia verò illa â minimis molecularum vitiosè modificatis dependet, idcirco omnibus viribus eò annitendum est, ut hisce minutiis præsertim salinis & debitus restituatur tonus & situs, concilietur magnitudo competens, conformis procuretur figura, & tandem naturalis inducatur motus, &, si necesse est, quies, atque in his versatur omnis hujus curationis cardo & regula, sine qua planè actum ages, *non enim calidum non frigidum &c. sed acerbum amarum &c. vim habet lædendi hominem, & quod forte est*, ut ait *Cous*; forte autem est, quod prædominatur, & sui juris prostat, & in modô quodam absoluto, consequenter in sua aliàs congrua qualitate, peccat, adeoque & hoc potissimùm respiciendum & auferendum erit, quò sic juxta requisitam methodum cura procedat quantum (non enim usquedum radicata semel humorum morbosa crasis ad placitum nostrum, præsertim ubi jam inveteratæ adsunt viscerum obstructiones, aut aliæ labes, aut ubi sanguis &c. jam nimiùm â statu naturali deviavit, emendari valet) saltem in viribus

noſtris poſitum erit,& ſic fecimus, quod potuimus, & legem adimplevimus; Quia autem ſapores vitioſi, morborum intemperatorum authores, vix ac nec vix quidem ſemper penetrari poſſunt, inde ſæpè curationes eorundem non ad eſſentialem illorum naturam, ſed cauſam magis generalem ordinare oportet, & quidem pro varia rerum circumſtantia etiam ſubinde variando curandi methodum, idque vel pro indicio naturæ ſpontaneo, quo in morborum eradicatione illa ipſa nonnunquam uti ſolet, vel pro experientia noſtra repetita; & ſic demum (per quod medicationis genus quilibet talis morbus eliminari debeat) certiores ſimus, utpote qui conſiderandus eſt vel ut *morbus primarius*, inde & primariò reſpiciendus; vel judicatur ut *ſecundarius*, nempe ab intemperato dependens, & ſic curandus tollendo hoc intemperatum uti cauſam præſervatoriè, ſecùs *Syſiphi* ſaxum movebis.

§. III. Dicta in genere ſufficere nobis poſſent, verùm cùm, teſte noſtrô Coryphæô, ſexcenta ſit ſaporum diverſitas, etiam ſexcenties curandi rationem ex jam antea ſæpius allatis & dictis variare debere, plùs quàm in propatulo eſt; ſed cùm jam in antecedentibus aliqualem cacochymiarum reſtrictionem more hucuſque in ſcholis conſueto in medium protulimus, ideò ſaltem principaliorum morboſorum ſaporum correctionem generalem hîc aſſignare placet.

No. I. *Amarum intemperatum* quod attinet, cùm in hoc præprimis particulæ aculeis furcatis conſitæ & anguli hinc diſrupti emineant, clarè apparet aculeos eſſe infringendos, obliniendos, demulcendos, invertendos, angulos diſruptos reſtituendos, & ſic in naturalem ſtatum redigendos eſſe. Hîc & ad *oleoſitatem ac pingue* exuperans intentio noſtra dirigi debet, uti frequentiſſimè, præſertim in febribus ardentibus mihi annotare licuit, ubi ſalia macra volatilia optimum effectum edidiſſe, & quidem ad ſtuporem id præſtitiſſe vidi.

No. II. *Acidum* quod ſpectat, quâ hujus vis in particulis tetrahedricis ſeu inſtar acuum rigidis difficulterque flexibilibus, cuſpidem inſuper teretem & acutam & ex utroque latere ſcindentem habentibus conſiſtit, idcircò mox conjicimus, particulas has eſſe leniendas, inflectendas acutiem tollendam, ut ſic omnia ad frugem redeant.

Par est ratio fere *austeri* & *acerbi* nisi quod frequentiùs ad specifica magis descendere oporteat, uti videmus quotidie in passione hysterica, ubi omnia antinervina, & etiam alexipharmaca optimè conveniunt, quemadmodum hoc â longa praxi observarunt authores.

No. III. Succedit *intemperatum salsum*, serosum puta, quod & ipsum omninò consideratu dignissimum est; saporem salsum quidem in p. 1. C. 6. §. 8. ad æthera quasi sustulimus, utpote quòd omnia nostra fluida quasi temperata sint salsa; Et sic est, etiamnum hujus sum mentis, modò attemperata sint oleosis, aqueis & terreis blandis; Hîc autem singulariter illud intelligitur salsum, quod forte, & sui juris est, ut vult *Hippocrates*, quod reverà & ipsum suas in œconomia animali turbas excitat, præsertim dum major spiculorum & laterum acuties adest, nec illa oleosis debitè involuta sunt; verbâ si *acre* evadit, & instar urticarum aculeorum penetrat, irritat, adeoque spicula hæc sunt inviscanda quoque ac obtundenda, & quia hæcce humores in motum concitatiorem cogunt, ac attenuant, spiritus vehementiùs impellunt, fibrillasque partium irritant & dividunt, imò subinde causticam quandam vim adepta etiam corrodunt, hinc principaliter *præservatoriè* & *curatoriè* exquirenda sunt ea auxilia medica, quæ motum fluidorum cohibent, spiritus ferociores pacant, fibrillarum irritationem & divisionem tollunt, ac unitatem restituunt, tandemque causticam adimendo & invertendo acrimoniam partes ab omni præservant lasione, sicque cuncta in gratiam redeunt: latè patet hoc humorum acre, etiam multoties in bile, ubique tamen fere fluiditas in contentis adest, ita ut individui quasi comites sint fluiditas & acrimonia.

No. IV. Ordo nunc postulat, ut de *dulci* seu potiùs insipido *intemperato*, quænam nempe petat remedia, mentionem hic injiciamus; quia ergò hoc in oppressione & inviscatione salium & sulphuris, nec non motu humorum lento & spiritibus tardis ac singulariter in imminutis digestionibus consistit, idcircò concoctiones restaurandæ, salia & sulphur exaltanda, viscositas incidenda, motus humorum conveni-

conveniens procurandus, & ſpiritus in naturalem elaterem reſtituendi nobis erunt, quò ſic & omnium optimè huic cacochymiæ conſulemus.

§. IV. Accedimus ad *Indicationem ſymptomaticam*, tanti enim ratione ſymptomatum ab Intemperato cauſatorum & dependentium mehercle intereſt, quanti forte res alia nulla medica meretur, ea enim fluvii rapacis inſtar manum Medici ſæpius violenter expoſtulant, imò furibunda quaſi ad ſe rapiunt, hinc profectò hîs neglectis frequentiùs mille mortes ſubſequuntur, adeò ut inde etiam famigeratiſſimi quique Practici non minimam ignorantiæ notam ſibi multoties inurant niſi ſubinde etiam reſpectu ad morbum ſepoſitô ad ſymptomata demulcenda ſe conferant, penes tamen exactè ad eorum cauſas oculos ſuos dirigant; parco manibus, at parco & ſuperſtitibus: Ipſa plebs ſenſata hac in area mihi teſtis erit, quòd calcaneus unus ſæpiſſimè omnibus omninò ægrotantibus applicetur, ſie werden alle über einen Kamp geschoren/ explico: Conqueritur v. gr. ſenex pituitoſus de catarrhis tenacibus & cephalalgia, mox in promptu ſunt pillulæ aureæ; cochiæ, cephalicæ *Rudii &c.* & quidem non ſemper ineptè; ſubſequitur Junior, qui ea ipſa incuſat ſymptomata, confeſtim & eædem præſcribuntur pillulæ, & quidem nullâ nec proigumenæ nec proximæ intemperatæ ſpecificæ &c. conſideratâ ratione, quæ Medicorum inſania! Alius ex cruditate acida, ille ex nidoroſa dyſpepſiam ſuſtinet, ſine mora, ut blandiamur palato ægri, ordinamus tragæam quandam ſtomachicam aromaticam, idque absque ulteriore & affectus & cauſæ indagine, quæ dementia! & ſic per mille exempla rei aſſertæ veritatem confirmare poſſem: Unam addo hiſtoriam breviſſimum ante tempus enatam, ubi Vir quidam inſignis phtyſi ſcorbuticâ (& ut ſuſpicio non inſulſa eſſe potuit, etiam tuberculis pulmonum crudis) cum enormi tuſſi fere ſiccâ, reſpiratione difficiliori &c. laborabat, conſulebantur varia antiphtyſica, ſed lento ſatis pede, & irrito conatu, nam & antehac jam plurimis pulmoniacis, vulnerariis & anticatarrhalibus uſus erat medicaminibus, Ad ſcorbuticam ergô diatheſin & acrimoniam ſalino-ſulphuream (utpote â qua

qua effectus tanquam secundarius potissimùm] dependeret) meas direxi cogitationes, & ecce brevissimum intra tempus tussis utplurimùm remisit, respiratio facilior evasit, & vel maxime se adjutum & alleviatum sensit; vis ut aliud addam? ecce habes; Prænobilis quædam Matrona etiamnum superstes olim dyspnæâ, defluxionibus acribus & tussi unà cum febricula correpta suasu Medici, cæterùm inter *Apollines* computati, ad 20. circiter dies sudatoriam curam admisit, sed non solùm frustrabatur quæsitâ euphoriâ & auxiliô, verum & in dies malum augebatur, ita ut respiratio satis difficilis evaderet, nullâ tamen hujus habitâ ratione adhuc per 20. dies sudasset, ni ego superveniens hysteron proteron curam institutam esse pronunciassem, tragædiam enim â tenuitate humorum & acrimonia emanasse, clarè apparuit, inde asserui incrassantia potiùs & inviscantia in usum trahenda esse & sic curam subsecuturam felicem, quod & eventus demonstravit, quippe vix per 3. l. 4. dies acidulas calidè bibit, penesque talia incrassantia & spicula ac aculeos humorum inviscantia adhibuit, & ecce cum stupore quasi revixit, & omnia symptomata remiserunt: Optimè ergo monet *Baglivus* usque dum ad radicem & morbum primarium in curationibus attendendum esse, ut sine hoc attentato nulla cura feliciter cedat: Quamobrem quicunque tandem morbus sit ab humoribus ortum ducens, multipliciaque accidentia inferens, is usque quaque ad statum sanguinis & humorum ab hinc derivatorum velut ad radicem respectum habendum esse, expostulat; inde etiam est, quòd multoties nonnulli minùs vulnerati, si vulnus in ulcus facessit, longè ægriùs, quàm alii enormiùs læsi (etsi ejusdem chyrurgi industriâ & operâ utantur) restituantur, non aliunde profectò, quàm quòd illius sanguis magis quàm hujus corruptus sit, & cacochymus, ideoque & coalitionem (particulis chylosis temperatis dulcibus & gelatinosis perficiendam) eximiè impedit, imò sæpe ulcera disepulotica & insanabilia post se relinquit; quapropter in specie semper (ratione symptomatum quoque) in morbis tractandis adhunc, illum, aliumve &c. humorem specificum (quisnam nimirum, & qualis in specie peccet; respi-

endum ; v. gr. si cephalalgia adest, non æque omnibus (ut jam prodidimus) omnia conveniunt cephalica dicta, si enim lympha colliquata jam, & satis attenuata est, frustra sanè & pessimô consiliô pillulas resolventes adhibemus, quippe crabrones irritamus, malumque etiam non sine ægri discrimine exasperamus, & qui prodesse obstringebamur, summopere obfuisse inculpamur, hinc reverà mirum non est, si rerum prudentes tantum sæpe Medicorum delectum sibi exoptent, & inquirant, honestaque salaria, ac sostra, etiam physicatus (utinam sic omnes Respublicæ, Proceres, & Urbes tandem aliquando saperent, nec cum tot millium excidio vitam suam adeò præciosam cuilibet vagabundo, tonsori, carnifici, empyrico &c. concrederent) ordinant ac fundant, atque posthabitis juxta conscientiam suam circumforaneîs & ampullosis Medicastris, illustres & in arte peritos ad eosdem admittunt, quô sic non solûm morbi popularibus suis familiares, statusque sex rerum non naturalium, sed etiam cujusvis individui temperies, ætas, modus vivendi &c. cognoscatur, planaque sic sternatur ad exactiores morborum curationes via. Filum pensi mei hîc fere nimis profusè duxi, crede tamen non sine singulari industria, res enim majoris est momenti, quàm ut vulgò creditur; sed redeamus in viam: *Indicatio symptomatica* exigit, juxta B. n. l. 5. C. 9. remedia, *quæ mitigant, corrigunt*, & simul *auferunt* hoc vel illud urgens accidens & symptoma, quod si quis ritè perficit, magnam & eximiam sibi gloriam ascíscit, & majorem quidem non infrequenter, quàm si morbum sustulisset Medicus, modò cum euphoria ægri id instituatur, nec lupus in stabulo includatur; Profectò si isthanc rem consideramus, ut in se est, secretum ingens erit Medico hæc methodus, cùm enim vulgus, imò subinde & illustriores majoris æstiment id, quod oculis subjicitur suis, quàm id, quod in corpore â solo Medicô cognoscendum, nec ab illis capiendum latet, ideò & Medicus sibi ipsi consulturus obvenientibus subinde symptomatibus omni studio & conatu succurrere (quantum vires artis nostræ concedunt) necesse habet: observandum tamen illud Poetæ canentis

Non

Non est in in Medico, semper relevetur ut æger.

nec ideo nos amethodici esse debemus, ut quondam satis inepte urgebar laborat Illustris quidam Vir. 76. ann. natus vehementissimâ febre acuta, & statim prima die funestâ visâ, hic tertio die incepit extremis frigere, intensè sitire, abdomen insuper vehementer distendebatur, alvus supprimebatur, & omnia ad inflammationem & gangrænationem deviabant, applico lenes clysters 3, sed frustra, ad interna laxantia, ut descenderem, omni vi arietabar, ast incassum, in casu enim tam desperato nolui & infamem mihi notam inuere, & contra conscientiam ire; denique proponebatur & vafrum & doctum (scilicet ut retrò &c.) remedium, nempe applicarem lapidem magnetis ano, & fore, ut clysteres & excrementa attraherentur, verùm cùm modum applicationis nemo esset, qui sciret, & ego subrisi, nec hoc applicatum, ille verò ad vesperas piè in *Domino* abiit, adeoque debemus agere ea, adhucdum possunt agere.

§. V. Tandem uti in omnibus morbis sic & intemperiebus vitiosis ipsa *Vitalis indicatio* suam hîc sedem promeretur, *vires* enim usquedum *conservandæ* veniunt, hinc in stuporem rapior, cacochymos adeò frequenter purgari, & quidem non raró ad contabescentiam usque, ubi ergo apud similes est vitalis indicatio? credo tandem non ad thulem, sed ad sellas patrocleanas & publicas latrinas amandari, secumque ipsum denique patientem ad terram seu tumulum trahere, quod innumeris confirmare valerem exemplis, ni tempori parcerem: adeoque semper sinistrô oculô ad subjectum morbidum respiciendum, & perpendendum

Quid natura ferat, quid tandem ferre recuset.

Quommodo verò hæc Indicatio suum sortiatur effectum, jam hinc inde edoceris. Nunc ad ipsam curam in particulari.

CAPUT X.

Pharmaceuticum, & primo de Alterantibus.

§. I.

EX iis, quæ hucusque in medium traximus, luce meridianâ clariùs apparet, Intemperatum, cùm consistat in vitiosa molecularum textura &c. in quali morbido fundari, adeoque illi, ut omnis Medicorum cohors unanimî calamô & voce testatur, competere ea, quæ aberrans hoc quale in frugem reducere potentia sunt; potentia autem sunt sola illa, non quæ evacuant, sed quæ depravatam modificationem naturali statui restituunt, vulgoque Medicis *Alterantia*, aut, si mavis, *digestiva seu præparantia* appellantur, suntque omnia illa, quæ vitiosos sapores corrigunt, id est acidum attemperant, viscidum incidunt, tenue incrassant, acre mitigant &c. hujus etiam generis sunt *absorbentia*, *introvertentia*, *obtundentia*, & quæ dicuntur *præcipitantia*; Quidam aliô hoc explicant modô, & dicunt, alterantia esse, quæ *pepasmum seu humorum coctionem* (adeoque humoralibus præprimis morbis, addicta sunt) *promovent & faciunt*: Dicta autem *coctio* seu præparatio aut alteratio nil aliud *est*, quàm *artificialis quædam* (sæpè tamen ipsa natura, in crisibus, negotium absolvit) *Medica adaptatio saporis vitiosi, ut tandem sic correctus ad excretionem aptus fiat Basis nostra* L. 3. C. 2. §. 40. Et hoc est, quod dicit *Hippocrates* 2. aph. 9. *corpora, cum quispiam purgare voluerit, fluida facere oportet*; sumit nempe hîc partem continentem pro contento, partes nempe solidas pro fluidis; sic acidum alteramus, dum infringimus hunc saporem, inque temperatam salsedinem reducimus; sic catarrhos tenues coquimus, dum incrassamus; pituitam præparamus, dum attenuamus, & sic de reliquis: sic sanguinem æstuantem temperabimus, dum acidum volatile cum alcali volatili saturum diluimus, invertimus, & sic de sexcentis aliis, secùs inepta omninò hæc sunt, ut expurgari

gari queant. Apparet ex his, quàm insulsi sint illi Medici, qui in morbis intemperatis hystericis, scorbuticis, chronicisque omnibus â farragine medicamentorum purgantium sub noduli vel alia forma curam suam adoriuntur: Mirantur profectò ii sæpiùs, malum in pejus ruere, & stupent, nesciuntque causam; Rimarentur intimiùs morbi statum, & eruerent desuper indicationes convenientes, nec ita obiter Empyricorum & tonsorum more procederent, sanè de feliciori praxi haberent, quòd sibi aggratularentur, cum ratione enim elicita remedia & optimis cautionibus confirmata universam curandorum morborum rationem complectuntur.

§. II. *Alterantia* modò adducta *dupliciter considerari* possunt, vel prout sunt primò *generalia*, scilicet vel acidum viscidum, tenue, oleosum, vel urinosum &c. respiciunt; vel secundo *specialia* unicô verbô *specifica & appropriata*, quæ nempe texturam fomitis morbifici specificam, etiam specificâ contrariâ texturâ destruunt, ejusque saporem præternaturalem in specie emendant; quatenus nempe in morbis non acidum in genere, sed hoc vel illud specialius v. gr. fixius, austerum, acerbum, ponticum &c. aut volatilius, hocque vel rursus macrum, aut oleosum &c. ordinario naturæ cursui contrarium peccat, *Baf.* L. 5. Cap. 4. §. 2. Hæc specifica debent esse constantia, methodô etiam præscribendi munita, ac cuilibet morbo fermè infallibiliter respondentia &c. uti sunt cortex peruvianus in inter & remittentibus, bryonia in affectibus uteri &c. Ita felicissimus erit Medicus ille, qui casu vel diuturna praxi (exinde Medicus senior tanti æstimatur) in remedium incidit, per quod morbi species jugulari ac velut in ovo extingui queat: specifica autem remedia illa in qualitatibus primis aut secundis quærenda non sunt, cùm & nec morbi essentia in his consistat, sæpè hinc morbi calidi, calidis (ut erysipelas camphorâ) præscinduntur remediis, imò subinde talibus, quæ juxta nostrum cogitandi modum naturæ humanæ prorsus videntur adversa; Omnia tamen talia appropriata ejus quoque indolis ut sint, oportet, ut naturam restaurent, simulque robo-

rent, quô ſic quaſi exhilerata hoſtem cervicibus ſuis imminentem tandem ſtrenuè excutiant, ſicque amara mors longiùs amoveatur, potiusque priſtina redeat feliciter incolumitas. *Alterantium ſubjectum*, in quod ea agunt, reverà unicè ſunt humores & hinc ſpiritus, nam & unicè horum datur intemperies; finis verò eſt præparare humores ad excretionem; *legitimam alterantium adhibendorum methodum* vide in *Baſ.* n. L. 5. C. 4. §. 8. Quoad ipſas remediorum formulas, hæ ſæpius pro ſubjecti ſcilicet vel temperamenti, vel habitus corporis, ætatis, regionum, cauſarum item antecedentium ratione immutandæ erunt, ſic aliis conveniunt ſicca, his liquida, illi meliùs ſufferunt ſolida aromatica, iſti aquea &c. hi ſpiritus & ſpirituoſa, nonnulli eſſentias; quidam pillulas, multi econtra electuaria, conſervas, emulſiones &c.

§. III. Ordo nunc exigit, ut & breviter nos ratione noſtrarum Intemperierum in particulari expediamus; & quid in quaque ſpecie convenire queat, determinemus, imprimis tamen ſolummodò generaliter: conveniunt autem primò in *Intemperato amaro* præprimis illa, quæ temperata ſunt, & Medicis ſub nomine temperatorum hepaticorum veniunt auxiliorum; Hîc prærogativam ſingularem obtinent omnia, quæ ſalia ſaguinis & humorum *diluunt*, & ſic attemperant; Quippe quò major bilis abundantia adeſſe putatur, & præſumitur, eò copioſiora etiam & ferociara ſunt in Maſſa ſanguinea & fluidis ſalia, adeoque dum in majori exhibentur doſi aquea, tunc quoque eò magis diluuntur, visque horum ſalium obtunditur, atque in activitate ſua nociva perpeditur: Hoc in paſſu non minimum locum occupat *ſerum lactis* ſeu ſimplex ſeu tamarindinatum nobiliſſimum, aut etiam ſuccis aliis cichorii, endiviæ, lactucæ, bellidis &c. alteratum; quemadmodum & *emulſiones* ex ſeminibus frigidis eximio cum fructu per intervalla noctu ante ſomnum exhibitæ magnum hiſce afferunt ſolamen, præſertim ſi vel nitrum vel arcan. duplicatum &c. eisdem aſſociatur; ſic & non inconveniens eſt ſequens ℞. ſeri lactis libras duas v. gr. ſucci citri recent. expreſſi uncias duas ad tres ebulliant parum in vaſe terreo, dein albumine ovi clarifica, & ſaccharô vel Julapiô roſatô edulcora, ſignetur, alteratif kühl

Tranck/ per intervalla, prout necesitas exigit, ein Tranck davon zu thun; si amplius alterare cupis, addi possunt rad. cichorii, flor. rof. rub. santalum rubrum, &c. sed tum plùs de sero addere oportet: Plura non addimus, quia ubique talia ad nauseam obvia sunt, & facilè pro lubitu variari possunt. Hæc omnia amarum infringunt & restringunt, modo prudentem sortiantur dispensatorem medicum. Inter hæc diluentia mihi valdopere placent decocta, quæ recenter invaluerunt, â basi *avenacea* Haber Tranck/ nuncupanda, eò quòd simul mucilaginositate sua salina spicula inviscent, & simul insigniter alterent, quæ, & ut serum lactis, pro libitu variari poterunt; Mihi in Matrona quadam in summo gradu cholericâ, bis jam sat periculosè dysenteriâ affectâ, & multùm tabescente, quod sequitur, probatum est, ℞. avenæ integræ mundæ mij. rad. cichor. rec. incis. mj. acetos. frag. ana drach. sex sparsæ paril. drach. tres cort. ext. citr. drach. duas incis. & contusa coq. in aqua font. mens. quatuor ad tertiæ part. consumpt. cola, & adde drachmam unam lap. prunell (etiam omitti potest) si placet; dos. unciæ sex manè & vespere. Si corruptionis & fracedinis, aut etiam acescentiæ metus abesset, addi possent passulæ ad uncias quatuor vel vi; hoc autem ut evitetur, in longè minori dosi decoctum parari, sæpius renovari, ac per aliquot septimanas continuari poterit. De reliquo stetêre comæ, ac vox faucibus hæsit, dum in quodam, cæterùm bene de Republica medica meritô Authore legi, recommendare illum sat efficaciter *potum coavæ*: An mori hujus sæculi tametsi pravo, aut pacientibus suis, omninò peregrinum hoc rarum & carum ac inde charum expetentibus, sic abblandiendô (ut subinde Medicus, velit, nolit, agere cogitur) connivere voluerit, nescio, hoc scio tamen, reverà decoctum istud utilitatis nihil, noxiæ plurimùm in nostro amaro causare posse: Enimverò si natales perpendimus, *coava* de genere fabarum est, *Arabiæ* felicis, quæ alias *bon* nominantur, istæ intur pascua â capris devoratæ visæ sunt monachis quibusdam illic degentibus vigilias inducere, hinc factâ in seipsis experientiâ usui publico easdem dederunt, nec tamen nostratibus sunt meliores; audi quid de fabis dicat

Samuel Müllerus in suo Vade mecum botanico p. m. 366. sonsten machen die Bohnen als eine Speiß genossen Blähungen/ und ein grobes melancholisch Geblüth/ und verursachen Unfruchtbarkeit ꝛc. & quotusquisque ex Nobilioribus & Illustribus aut litteratis tenerioribus est, qui nostras fabas aut in super phaselos recentes etiam coctos impunè cõmedit? sanè multos inde lassitudine ulcerosâ, imò Erysipelatibus correptos esse ipse testor: At oggeris mihi in sinistro me esse supposito, semina illa *bon* dicta non ita cruda & nuda in usum trahi medicum, inde priùs torreri, quô sic ritè præparentur, debiteque in salutarem Medicinam adoptentur, & tum non solùm tutò, sed & maximô cum fructu adhiberi: Audivi mentem tuam, mi *Coffophile*, scio equidem tostionem, operationem chymicam esse satis fructuosâm, novi etiam, ut multa alia subticeam, Rheum hâc mitescere, longeque securiùs operari, nego tamen, & pernego idem in nostro coffe contingere, ac in Rheo, quippe hoc terrestre est, & macrum, imò volatilem etiam habet substantiam irritantem, quæ calore facilè dissipatur, hinc & decoctum ejus languidum, imò extractum satis segne est, quare & tostione vis ejus purgatrix mitificatur, atque dum sola pars roborans (ob quam & *anima hepatis* intitulatur) in tostione remanet, intentionemque Medici adimplet, non nisi magnus exinde fructus sperari potest: longè aliter in præparatione seminis coavæ accidit, Notum est enim, semina cuncta etiam leguminosa partibus mucilaginosis ramosis & sulphureis temperatis abundare, adeoque nutritivis plùs minùs dulcibus, uti & nonnihil in coffé depræhendes, modò Emulsionem inde pares, uti apertè in hujus confectione comperi; Quamvis ingens sit Emulsionis inde emergentis (videlicet pro tam multivaria seminum constitutione) discrepantia, hinc amygdalæ, semina quatuor frigida majora &c. copiosam, & dulcem, leguminosa verò parciorem & ingratiorem subministrant liquorem lacteum; cubebæ verò & piper nullum, sulphure enim fere macro gaudent, adeoque ad lactescentiam inhabilia sunt, inde etiam evenit, quòd ob temperatum dulce oleosum semen tritici, siliginis &c. eam in nutriendo prærogaroga-

rogativam obtineant, ut etiam per ipsum *Dominicum Verbum â Patre luminum* panem poscere jussi fuerimus, videlicet ob succi chylosi nutritivi eminentiam, & tamen dum in panificio ignis calor major est, quàm ut solùm modò panem debitè excoquat, sed magis adurat, quis, quæso, mortalium carbones hos triticeos &c. appetit seu vorat? imò & ab iis nos omninò abstinere jubet Poëta hoc versu.

Ne comedas crustam, choleram quia gignit adustam.

Si ergò hoc in semine tritici &c. nobis tam necessariô & tam nobili evenit, edic, quid emolumenti â tostis coavæ seminibus seu potiùs carbonibus usus dabit? Profectò nihil, imò plùs noxæ quàm utilitatis: Mihi non credis? experire, & subscribes: Considera carbonum ligneorum confectionem, ubi sulphur, ejusque acidum non avolant, sed solummodò suffocantur, quod satis multa testantur experimenta, ubi scilicet hyemali bruma multi in angusto quodam conclavi carbonibus ignitis, ut calefierent, utentes suffocati perierunt; Atque si hoc in subjectis macris (uti fere sunt ligna) accidit, quid ab oleosis expectabimus? ubi longè major sulphuris quantitas supprimitur, & tametsi tam subitò in tosto coffe non eveniat, lentè tamen subsequitur, & ut illud citò, hoc solummodò tardè suum præstat effectum: Quæris asserti mei causam, dabo: *Bon*, semina nostra, ut jam supra memoravimus pro usu interno cruda nimis censentur, adeoque uruntur in carbones, seu potiùs comburuntur, dum ad nigredinem torreri mandantur, & ecce fætor eximius nullitatem medicamenti prodit es schmeckt wie ein abgebrendt Hauß; nec amplius in emulsionem, ut prius, rediguntur, sed liquor nigricans turbulentus colluviei non absimilis emergit, quem sanè nemo etiã ex abjectissima plebe sorberet; Petis plura, ecce & hæc habe: in chymicis utique tam versatus eris, ut duplicia quasi destillari *olea* nempe per *ascensum* ut sunt gratissima illa olea destillata cinamomi anisi &c. & *descensum*, per violentum nempe ignem sine liquore addito parata, quæ *empyreumatica* nuncupantur, hæc olea intensissimam possident acrimoniam, imò igneam, uti ipsemet experiri poteris, imò cum fumo crasso quasi piceo, dum accen-

ditur, effumant: tale oleum continent meherclè hæc *Bon* adusta, quod potiùs amarum nostrum intendit, exaltat, successivè adauget, quàm imminuit; Audi hanc in rem insignem Medicum simul & pharmacopæum Schaffusianum *Sckretam â Zavorziz*, qui in *tractatulo de feb. castrensi p. m.* 240. de oleo Cornu Cervi fætido (postquam paulò ante spirituum volatilium depurationes â sordibus quisquiliisve, NB. Empyrevma, fuliginem, rancorem, & fætorem spirantibus candidè suaserat) hæc habet: *Nulli suasor essem, ut spiritum cornu cervi non bene depuratum, & cui fœtens NB. oleum adhuc supernatat &c. in hisce morbis intra corpus assumeret, si velit majoris periculi exors vivere:* Quis ergò adhucdum adeò, ut potum hunc continuet, desipiet? non enim nisi funestus tandem exoritur exitus: Audio Interea, mi Caffophile, in multis te mihi obloquentem, regerentemque; Turcas inde animosos evadere, usum hujus serenare caput, arcere ebrietatem, hominesque rursus alacres efficere, promovere coctiones, crudidates consumere, imò longè majora patrare &c. Ast paulisper suspende animum, ac ne nimium studio huic addictus præmaturè judica, solvo hunc nodum Gordium feliciùs fortè, quàm ipse *Alexander magnus.* Non inficias eo experimentum â Turcis desumptum, certum enim est frequentem penes illos usum esse decocti coffici, audaces quoque ad prælia, ad conflictus ire; utrùm verò effectus hic ab hoc potu, & non potiùs â nimio legis ottomannicæ, quo ligantur, amore procedat, non immeritò dubito, ea enim etiam est apud illos dementia, ut quoque pretiosissimum quodvis (ne scilicet minùs compti coram suo *Mahomete* occisi compareant) in aciem secum rapiant, & isthac falsa opinione quasi philtrati ac dementati omne etiam periculum subeant; Deinde positô non concessô, juvare quidpiam decoctum hoc ad audaciam, scito quoque, & longè disparem cum nostris Germanis esse rationem, utpote quòd hi sint satis alacres Bacchi Sodales, ubi longè major amari proventus enascitur; Illi verò, Mahumeticæ legis cultores sint hydropotæ, credoque firmiter, quod illi, si præter tam copiosum coavæ haustum vini amatores forent, profectò

ctò non solùm in animositatem, sed tandem etiam in rabiem & insaniam irent, cùm & eorum indoles satis barbara illuc multùm inclinet; adeoque si quid quandoque emolumenti illis affricat, magis inde procedit, quòd ex aquæ potu defectum quoque particularum sulphurearum, vel saltem harum suffocationem resarciat quasi coavæ potus, quod sanè apud Germanos utpote alacres *Cereris* & *Bachi* soboles locum neutiquam ita invenit, itaque & hæc argumentatio non in forma ob magnam disparitatem in medium ducitur: Quod de cætero quoque tuis Bon gloriaris, serenare illud caput &c. pellere ebrietatem, promovere coctiones, & si quæ longè plura, ut supra memoravimus esse queunt, meherclè hæc omnia non ab adustæ coavæ pulvere, sed unicè ab aqua, cum qua decoctio facta est, proveniunt, hæc enim præsertim, ut fieri solet, copiosius ingurgitata etiam uberiùs admissum *Bacchum*, velut primarium diluens, sulphureas, & oleosas hujus inebriantes particulas dividit, obtundit, mitigat, & & diluviô quasi suffocat, ut minùs posthac ferociam suam exerere queant, nam & narcoticum sulphur eâdem potiori ex parte infringitur, quod reverà partibus aquosis diluentibùs in acceptis solùm est ferendum: Hanc in rem non inconcinnè memoro, quæ olim in Viro Religioso, pio ac devoto S. *Francisci*, ex sacra P.P. Capucinorum familia, asceta observavi, hìc cùm post prandium obambulando per hortum siti pressus, cerasa duracina (nondum adeò matura) commedisset, mox colicos persentit dolores, & tormina valdopere molesta, inde manducat successivè nucem Moschatam (quæ & ipsa non solùm anodyna, sed & copiosius commesta narcotica & inebrians est) integram, sed sine singulari levamine, ac quia dolor brevi magis ferociit, superingerit adhuc dimidiam, sed & nec hac finis dolori imponitur, idcircò tandem intra duas vel tres horas adhuc unam integram superaddit, quâ quidem tandem dolor remisit, ille verò noctu dum se ad quietem pararet, manifestè sensit, circumgyrari caput, obtenebrari visum, vacillare pedes &c. his in angustiis versatus quæsiturus opem januam suæ cellæ Monasticæ aperit, sed vix egressus derepente cum impetu in

ter-

terram corruit, ita ut accureretur, & pro apoplectico in suam culcitram stramentitiam deportaretur, & quia asceterium extra urbem erat, mox domesticus quidam & diluens applicatur clyster, exhibentur copiosa juscula, & quia sitis urgebat, etiam potus aquæ copiosioris hauriebatur, quibus quidem multùm sublevabatur, non tamen nisi copiosis diluentibus manè in totum restituebatur, & quidem nec hilô de hac coava cogitatô, aut adhibitô; ecce, quanta sit diluentium aqueorum virtus & efficacia! similis fere casus accidit Socro meo *Joan Ludovico Silbereisen* Med. D. & Practico sui temporis celeberrimo; hic vocatus ad puellam quandam ex esu nucis Môschatæ unius cum dimidia gravi alvi constipatione per aliquot dies afflictam, & in maximis angustis versantem, mox jubet copiosissimè aquam fontanam haurire, quô factum, ut breve intra temporis spatium ab omni liberaretur incommoditate, & vitæ periculo. Quod insuper objicis, cruditates consumere, promovere coctiones &c. eâdem fere fideliâ, quâ modò usi fuimus, dubium purgamus, hocque præstat decoctum simile magis ob actualem caloré, cùm enim nos Germani solertissimi simus Falerni assectæ, illudque copiosè & quidem non tam frigidè, quàm sæpiùs gelidè hauriamus, quærimus in sicco medelam, sed qualiter? nimirum vel frigida quævis & infrigidantia (contraria nempe contrariis curanda asseris) assumimus, Julapia refrigerantia in auxilium vocamus, aut ipsam fontanam &c. & inde est, cur cruditates cumulemus, humores inspissemus, ad cogulationem sanguinem disponamus, motum circularem segnem reddamus, hinc omnia actu calida, ut & ipsum est coffe decoctum, magno sanè in his casibus subsidio sunt, at non ipsa semina *Bon* quasi in carbones redacta hoc efficiunt, sed ipsa aqua actu calida epota, quod idem reverà jusculum carnis simplex vel medicatum longè felicius præstaret; Habes itaque, quàm tenuis sit coavæ tuæ decoctæ haustus, quam exiguarum sit virium habendus, & inde quàm parvi æstimandus, præsertim in Junioribus & virili ætate constitutis, plethoricis ac sanguineis eminenter autem cholericis, ita ut brevi (quemadmodum jam jam longè viliori

in

in pretio habetur quàm olim) agonem ſit ducturus: Habe pro ſuperpondio, quæ in Presbytero quodam & Parocho in prima mea praxi annotavi, hic neſcio ob quam cauſam in anaſarcam incidit, variisque adhibitis auxiliis medicis nullum obtinuit levamen, ita ut de ſalute (quibus autem uſus medicis, neſcio) deſperaret; en derepente; novator quidam invaleſcente tum primùm hujus potûs uſu ad ſydera usque hunc extollendo ſuadet, ille ſalutis propriæ amore allectus obtemperat, bibit ſæpius de die calidè & quidem tanta cum euphoria, ac efficaciâ, ut non ſolùm totius corporis tumor ſubſideret, ſed & in totum ſeſe reſtitutum eſſe, ut ipſi videbatur, omninò ſibi perſuaderet, aſtantesque & amici cum magno applauſu congratularentur, at malô omine, quia minùs methodicè, nam juxta Poëtam

Incidit in Scyllam, qui vult vitare charybdin,

hoc ipſum & noſter ſacer Paciens proprio interitu expertus eſt, quippe quem priùs ex tumentibus genis buccinatorem agere juraſſes, brevi illæ adeò collapſæ ſunt, ut eas aurium vices ſubire crederes; cujus cutis per univerſum corpus ita â diluvio aquoſo diſtendebatur, paulò poſt immenſas contraxit rugas, & ita extenuabatur totus, ut vivum ſceleton repræſentaret, nam

- - - *vix oſſibus hærebat,*

in hoc tamen felix, quòd mors brevi quietem attulerit, dum intra exiguum temporis ſpatium vitæ filum abrupit, notabilî exemplô, coavam eam, qualiter deprædicatur, panacæam non eſſe, nec ullo modô etiam vel minimô nomen ſimile mereri, quod pluribus conteſtarer, confirmaremque obſervationibus, niſi res ipſa jam jam apud ſui cultores id loqueretur, loquutura longè abundantiùs, ſi ejuſdem etiam continuabitur uſus: non eſt tamen, quòd in totum, maximè ratione & caloris actualis & aquæ conſtituentis, ac diluentis, in totum rejiciam, habet & nonnunquam ſuum effectum, præſertim in pituitoſis, frigidis, in quibus humores ad coagulationes, ad craſſitiem, & hinc tardiorem circulationem abeunt, ubi aliquid præſtare poterit, ſed & hîc, ut jam edoctum, cautè mercandum eſt, ne quid nimis agamus. Verum

enim verò ſatis de his, tranſeamus ad alia, & illa diluentia amari nobiliſſima, & quæ meritò hîc in throno ſedent, videlicet fontes ſaluberrimos, qui nobis *acidulas* advehunt, hæ etenim majori jure titulum hîc panacææ utpote & palato gratæ, & guſtui acceptæ, & efficaciâ inſignes merentur, modò conſideratè & debitâ cum cautelâ (malô nimirum nondum inveteratô, viſceribusque adhuc integris, nec labe aut ſingulari ſcyrrhoſitate affectis,) nec usque quadum ita frigidè in uſum vocentur, tunc inſigniter bilioſum domant, amarique ſacra ſunt anchora, modò non ſimul Bacchus inundet interanea; actum agerem, ſi plura de his adderem, utpote ubique nota, & quoque in noſtro *hydrophylacio novo de aquis mineralibus ſalubribus* ſatis explanata.

No.I. Superſunt adhuc alia *diluentia*, quæ modernô ſæculô eximiè invaluerunt, & naturæ quaſi amiciſſima, *juſcula* herbis & ſimilibus alterata, appellata quæ profectò maximo ſolatio eſſe queunt, præprimis cùm ejuſdē ſint genii, ut ad libitū cujuslibet naturæ, id eſt temperamento, ætati, naturæ, ſexui, etiam ratione clymatis accommodanda ſint, hinc longè exoticis noſtris caffeatis & Theatis potibus præferenda veniunt, ſive dein ex recentibus ſeu ſiccis ſubinde ordinentur herbis & ſpeciebus; Hic mos â prima fronte novum aliquod inventum in Medicina videbatur, at verò ſi rem intimiùs penſitamus, profectò maximam cum decoctis veterum habere confinitatem deprehendemus, ſive dein ingredientia (quæ hîc fere hepatica & ſcorbutica temperata eſſe debent) ſive modum parandi reſpicias; atque tametſi ſimilia per ſolam infuſionem multoties fiant, ſæpiùs tamen per coctionem eorum præparatio inſtituitur, & vel ex hoc commendantur, quòd domi fieri poſſint, & pharmacopalia (multoties ex nomine ſolùm nauſeoſa) non ſapiant: Innumeræ ſimilium juſculorum medicatorum formulæ efformari poterunt, unam duntaxat, aut alteram hîc mihi familiarem (juxta quæ aliæ plures concinnari queunt) in medium ducam; v. gr. Rec. heder. terr. cichor. Endiv. cochl. lactuc. acetoſ. ana pi, poſſul. min. drach. duas cort. citr. drach. ſem. inciſ. minutim, affunde juſculi carnis non ſaliti fervidi uncias ſex ſtent cooperta per leve tempus, & dum

tepeſcit,

tepescit infusum, exprime fortiter per linteum pannum, & ebibe mane adhuc calide continuetur per duas vel tres septimanas, ac, si necesse erit, etiam ad vesperas repete; Vel ℞. herb. rec. cochl. nasturt. hort. acetos. nummular. borrag. endiv. ana pj. cort. citr. drachmam semis, passul. min. drachmas duas procede ut supra; vel, ℞. herb. rec. melis. nummular. cochl. acetos. hispan. nasturt. plantag. tenuif. ana pij. rad. frag. petroselin. rec. ana drachmas duas cort. citr. rec. drachmam semis, passul. min. drachma tres &c. præpara ut jam dictum, & in qualibet dosi assumuntur penes Tincturæ chal. gutt. XXV. &c. & sic pro lubitu, prout intentio dirigit, variari possunt formulæ; Atque reverà talia infusa, & reliquis medicamentis gratiora, & etiam maximæ utilitatis erunt, dum quavis die & hora recenter paranda sunt: Quidam aliquibus radicibus & herbis &c. caponem deplumatum infarciunt, aut dissectum cum iis decoquunt, & sic jusculũ ad plures doses conficiunt, sed non usque dum optato & eodem effectu, facilè enim similia carnium decocta vel fracedinem contrahunt, aut brevi temporis tractu actu noxiè acescunt, ita ut sic in usum medicum posthac trahi saltem tutò non possint, adeoque prior, tametsi simplicior modus longè commodior & sanior censendus est.

§. II. Non solùm hæc aquea, sed & alia amarum excessivum infringere apta sunt, quibus imprimis sunt ipsa *acida* potissimùm *fixiora*, ut in Basi n. L. 5. C. 4. §. 3. nonnulla assignavimus, hæc enim insigniter alterant, &, quia motum humorum amaro excessivo familiarem, & quasi quarto modô proprium infringunt, sulphur obtundunt, salia volatilia figunt, & sic causis caloris obviam eunt, meritò statuendum est, quòd & refrigerent; hinc eximii sunt usûs in febribus, quemadmodum quondam in studioso quodam jam ordinibus sacris initiatô, luculenter experti fuimus; hic febre valdè acutâ, imò malignâ tum epidemicâ gravissimè decumbebat, nullaque re magis quàm citrîs in taleolas dissectis & saccharô aspersis (quorum saltem per totum morbi decursum 24. commederat) delectabatur, & vel maximè adjutum se affirmabat; hinc & aqua illa famosissima, prophylactica nominata (cujus potior, ni totum constitu-

ens, est acetum destillatum) tantã in peste obtinuit, & etiamnũ in febribus acutis obtinet eminentiam, solum scilicet, quia amaro tam potenter contrariatur; vide, quæ dedi L. 1. C. 6. §. 5. potissimum verò C. 4. §. 3. n. 8. usque ad numerum 12. inclusivè, ex quibus facilè, quid valeant, deprehendes, adeoque hîc plura dare supersedeo. Hujus generis fere sunt nitrata omnia, uti & *nitrum* ipsum, quæ profectò sulphur sanguinis biliosum efficaciter infringunt, quippe in hoc acidum volatile est subtilissimum, penetrans & bilioso contrarium, modò robur ventriculi & intestinorum constet, graves enim jam diarrhæas induxisse multoties observatum fuit, ex eò prostat præprimis nitrum præparatum, quod lapis prunellæ dicitur, spiritus, item nitri tam simplex, quàm dulcis, nitrum item vitriolatum ritè confectum, quò reverâ centies & ultra, præsertim in febribus bibliosis seu â sulphure prædominante ortis, mira effeci; exhiberi potest seu per se in forma pulveris aut aliis commixtũ, aut ut mihi commune fuit. ℞. nitri vitriolati scrupul. quatuor plùs minus, dissolve in aquæ simplicis, vel decocti Cornu Cervi usti, alius alius liquoris libris quatuor edulcora saccharô, quod inserviat pro potu ordinario; Verbô nil magis coercet effervescentiam sulphuris microcosmi, & sal volatile oleosum, nec quidpiam aliud spiritus ferocientes ita sopit quàm hoc, hinc & in nimia veneris salacitate summum est remedium, ratione sulphuris sui blandi â stercoraceis animalium desumpti etiam blandum est anodynum, in febribus Ungaricis, pleuritide, & aliis inflammationibus (nam simul stagnationes resolvit) anginâ, & febribus ardori vulnerum supervenientibus optimum est quidem auxilium, non tamen infallibile, ut quidam Chyrurgus magni cæteroquin supercilii homo existîmabat; Hic Viro insigni multarum prolium parenti & magnæ virtutis (dum ex nimis præpropera ac festinante tormenti bellici vix explosi, ac necdum expurgati cum novo pulvere pyrio facta oneratione, mox autẽ insperata pulveris accensione, & hinc subsecuta virgæ stipatoriæ & thecæ nitrati pulveris repercussione manum dextrã fere integram amiserat) propinavit mox drachmam semis vel unam nitri præparati,
&

& securum de futura gangrænatione omnino fore pollicitus est, imò in tantùm huic dosi confidebat, ut adhucdum ultimo die circa horam meridianam 11. (quidquid reclamaret paciens, sibique brevi moriendum esse vociferaretur) adhuc animam & omnia bona sua oppignoraret, quod nempè hoc fieri nequiret; ille verò flocci habitis hisce pollicitationibus velut certò moriturus disposuit domui suæ, potissimùm autem sese reconciliavit Deo velut sui interitûs solertissimus vates, nondum enim audita fuit hora 12. ecce mox totum brachium immensè intumuit, & quidem cum maximis hinc inde subortis nigricantibus vesicis, sufficientibus perfectæ jam intus enatæ siderationis testibus, ita ut indusii bracchium vix tumorem caperet; vocantur ordinarii, vocor & ego pro consilio, sed serònimis, mors enim in olla erat, & jam fores pulsabat, pulsus debilis, & intermittens, aliaque accidentia cuncta, fatis cedendum esse, ostendebant, hinc majorem curam animæ quàm corporis habendam esse insinuavi, quemadmodum & post semihoram vix elapsam piè & blandè cum summo dilectissimæ uxoris, & prolium luctu, ejulatu, ac dolore civium, pium Domino Deo spiritum reddidit; Ex hac historia luculenter apparet, quàm protervè, quam iniquè, quàm inscitè nonnunquam Pacientes tractentur; bonus Vir non infimô suorum damnô obiit, qui servari potuisset; magni quid præstat nitrum in hisce casibus, sed non omnia, nec tantilla dosis & unicâ solummodò vice exhibita tam herculeum malum edomare potuit, jungenda fuissent sudorifera, diascordiata, camphorata & alia, sudor imperari, ardor manûs specificis edomari &c. debuisset, & feliciùs cura processisset; sed quid pluribus hanc rem perstringo, tolerant hanc Magistratus, & mihi est toleranda, quia remederi nemo est, qui cogitat, requiescit ille, ideò requiesco & ego in hac materia. Nunc digredimur ad alia amari nostri antidota, & hæc ipsa sunt *salia volatilia*, *quæ duplicis generis* esse possunt, nimirùm vel *macra*, ubi nempè partes sanguinis sunt nimis sulphureæ, crassæ, oleaginosæ, & quasi inspissatæ ex urinâ quasi oleaginosa valdè tincta ac crassa cognoscibiles, ubi profectò mirum, quod præstant; veluti id millies expertus

ſum, maximè ſi ſimul febris quædam complicata eſt, ſic in hæmitritæo, (quemadmodum & alibi de febribus continentibus doceo) quaſi deſperato (dum periodus jam malignam continuam minitabatur, & ſymptomata in ſummo gradu ferociebant) drachmæ duæ ſpir. ſalis armoniaci urinos. ſimpl. cum unciis duabus ſyr. pap. errat. commixtæ addita drachma ſemis confectione alkermes paroxyſmum ad ſtuporem non ſolùm lenivit, ſed & typum continentis ſimplicis ſeu legitimæ (ubi priùs notham æmulabatur) poſthac obſervavit, facilisque curationis evadebat, nec amænum hoc ver una hæc hirundo fecit, ſed & ſucceſſu temporis innumeris vicibus idem experiebar: Hoc idem nuper in orthopnæico ſimul febre ex ira laborante evenit, hic ſubinde delirabat, laſſus erat, pulſus jam intermittens jam celer & vehemens, imò totus inæqualis erat, ſitiit, peſſimum autem erat, quod ſæpiùs auram frigidam pro faciliori reſpiratione quærere coctus fuerit, urina intereà ſemper ſatis tincta apparebat, ſedimentumque craſſum lateriticum depoſuit, quæ omnia utique infallibile exuperantis amari indicium ſuppeditabant; adhibita fuère juxta indicationes & quidem ex arte elicitas varia medicamenta, at incaſſùm, tandem ad modò dictum (dum omnia in deplorato ſtatu jam eſſe videbantur) remedium refugio & partitis binis vicibus intra 3. horas totum propino, atque ad miraculum usque ægrum quaſi ex charontis cymba revoco, qui etiamnum ſanus & incolumis (ſi præſcriptas diætæ regulas obſervat) vivit, victurus ultrà, ſi medico eſt obtemperaturus: Hæc ideò hac in materia aſſigno, ut quantus in bile oleoſa etiam eſſet volatilium macrorum uſus, clarè patefacerem, obſervavi enim & in ipſis infantibus, quod, ſi quandoque in earum febribus (nempe particulis oleoſis ſulphureis tragædiam ludentibus) reliquis diaphoreticis temperatis adderem ſimilia volatilia urinoſa macra, ſemper febrim mitiorem evaſiſſe, longeque ſecuriùs imò & citiùs curſum ſuum abſolviſſe, invincibili argumentô, ea quoque in noſtro amaro non infimum tenere locum; ſi experimentum exquiris, extemplò dabo, cum offâ Helmontiana ex ſpiritu ſalis armoniaci urinoſi paratâ ex qua manifeſtè, quanta ſit urinoſorum

rum in oleosa volatilia vis & energia, deprehenditur. Ast nondum desinunt amari antidota, dum adhucdum alia nobis suppeditant, nempè *testacea*, *mineralia* & *antimonialia*, *tartarea fixa*, nec non *terrea* &c. quæ omnia orgasmum sanguinis aliorumque humorum seu æstuationem, & rarefactionem insigniter pacant, sicque quietem inferre, & motui frænum injicere, simulque sulphuri ac sali volatili sanguinis resistere sciunt; hujusmodi generis fere sunt conchæ, oculi cancrorum antimonium diaphoret. bolus armenus, bezoard. & diaphoretica mineralia varia, crystalli montani præparati, pumex, lac lunæ, Cornu Cervi ustum & philosophicum os sepiæ, unicornu fossile, creta præparata, mandibulæ lucii piscis, dentes apri, conchæ, matres perlarum, lapides percarum, ebur, & plura alia pro usu interno, quæ variis formis obnubi & in usum medicum trahi queunt: Hæc dicta non solùm calori, sed & imprimis humorum motui obicem ponunt, potenter enim fluxibilitati eorum resistunt, veluti non solum in pulmonum abscessibus, sed & aliis humoribus ichorosis persæpè magnum inde fructum retuli; videmus hoc & ipsis ulceribus ichorosis & laxis, ac acribus corrosivis per mechanicam, lapidem nimirum medicamentosum, calaminarem, cerussam, pompholygem & terram vitrioli dulcem &c. insigne his auxilium subministrare, quod idem & internè alia efficiunt, quatenùs nempè lympham ita inprimis viis disponunt, ut salia fluxionum authores eximiè coërceantur; sic itidem partes roborant, ac astringunt, imò incrassant, & quia pleraque mucilagine prædita sunt, ideò & irritationi fibrillarum, nervearum ac lubricitati multùm adversantur, hinc quia tonum viscerum roborant, laxitatem auferunt, in fluoribus omnibus seu sanguinis seu alvi seu seri, seu seminis &c. egregium habent usum; præcipitant insuper seu potiùs absorbent ac temperant acrimoniam biliosam, spiculaque salina ac acuta infringunt, ut eorum acies amplius nocere nequeat, sic & in cholera & bile æruginosa crystallus præparatus instar omnium specificum est alexipharmacum: Imò, ut plùs dicam illa eadem quoque resolvunt, clarissimum nobis est exemplum in pulvere contra strumas, in

pulveribus

pulveribus ad casum, antipleuriticis, nephriticis: *sudorifera* etiam, bezoardica, balsamica quasi, & diuretica præbere non infima adeò certum est, ut de eo (veluti hinc inde innumera id testantur exempla) dubitare nefas foret, & quia hisce omnes authores Medici ferè scatent, ideo & plura non addo; si catalogum tam horum amari antidotorum, quàm jam suprà memoratorum desideras, consule nostrum campum Elysium quoad materiam medicam propediem etiam edendum, Cap. 4. in pluribus locis; si uberiorem messem expetis, ecce subministrabit solers Wedelius in amænitat. Medicis in fine. Tandem etiam huc suô modô trahenda veniunt ipsa *Opiata*, non quod per se & respectu sui sint amari specifica, sed potissimum ratione orgasmi & motus efferi nonnunquam nimiùm ferocientis, qui reverà unicè mitigationem & correctionem expostulat, hinc videmus quoque in cardialgia, si cum aliis debitè obnubantur, eximium ferè fructum, nec minus in diarrhæis biliosis nuncupatis præstant; Verbô, ubi impetus fortior ab amaro est refrænandus, ibi & opiata simul in usum (cæteris tamen paribus) sunt vocanda, vide plura de his in nostra basi lib. 5. c. 7. &c.

§. IV. Exenteratis amari alterantibus appropriatis nunc ad *Acidi* alexipharmaca præparantia digredimur; hæc denuò in memorata nostra B. lib. 5. C. 4. §. 4. quasi in compendio quodam, uberrimo, autem in campo elysio de aperitivis & spleneticis vocatis enarramus, sunt autem, quæ hoc acidum (seu melancholiam veterum) alterant fere sequentia; primo in hanc classem veniunt ipsa ex ferre desumpta ferè quævis, abal. *martialia* vocata, *medicamenta*, de quibus totus jam noscit orbis, decantari illa quasi universalia pro acido domando auxilia, & hinc sacram & unicam esse anchoram; *martem* enim velut alterum Herculem non solùm minores affectus pellere chronicos, sed & lernæam illam hydram ipsum scorbutum malumque hypochondriacum, felicissimè è medio tollere, atque omnes, qualescunque etiam corporis obstructiones indubitanter deoppilare; Hæc utut quotidiana fermè confirmet experientia, innumeraque totaliter restitutorũ extent exempla, maximâ tamẽ cautelâ in martiali-

um

um exhibitione opus esse compertum, imò compertissimum habeo, nam quemadmodum stupendi & maximè salutares in docta earundem administratione subsequuntur effectus, ita meherclè multoties quoque exinde mille cuduntur mortes, potissimum ab iis, qui sicut fur in sacram nostram artem temerariè de nocte (volo dicere intempestivè, & clanculum ac non experti) involantes similia suadent, aut etiam (de quo vel maximè dolendum) si & ipsi pileô doctorali condecorati indifferenter cuivis subjecto patienti, omni illorum delectione seposita, quodvis statim martiale seu crudum seu præparatum, & vel hoc vel illô modô elaboratum propinant, ingens profectò hîc frequentissimè committitur error, posthac non ampliùs reluendus; Operæ igitur pretium fore duxi, si mentem meam (quod reverà magnam ut spero in medicinæ utilitatem feret) de natura & usu martis nonnulla, non omnia in scænam ducerem, quæ fere in sequentibus funduntur. Primò in comperto est, omnes quasi, quotquot sunt morbi, vitioso acido & viscido annumerati ex cruditate acida ventriculi, chylo lento indigesto & crudo exoriri, quo fit, ut hic facilè hinc inde in vasis lacteis stagnent, glandulisve, per quas transeundum esset, adhærescat, sicque porulos harum aliarumque patularum & meabilium partium infarciat, ita ut imposterùm etiam laudabili affluenti chylo non tantùm transitum deneget, sed & stagnare faciat, ex quo deinceps successivè contumaces generantur obstructiones, quod præprimis tum accidit, dum ventriculus perpetuam gerere ex maledicta ingluvie habet sarcinam, quod tamen tales helluones crescente ætate satis luere debent; tollerandi essent infarctus isti (qua faciliùs adhucdùm curam suscipe-rent) si soli persisterent, nec malum ulteriùs serperet, quidquid enim tandem etiam ad massam sanguineam devenit, fere omne adhucdum crudum est ac indigestum, inde quoque sanguini assimiliari impotens, & quia â summo Creatore sapientissimè in prima hominis plasmatione cautum est, ut sanguis omnis per omnia corporis viscera circulariter moveatur, hinc & successu temporis (sæpè satis lentè) talem illis labem affricant, qualem vasis lacteis & glandulis mesarai-

cis imiserunt, inde tota fere æconomia animalis prosternitur, & mille morbi exurgunt, imò tandem scyrrhi immedicabiles tactui & prudenti conjecturationi manifestant, hoc de affectibus diuturnis positô. Secundo ad Martem velut horum morbosorum statuum panacæam unicam dictum me confero, ut verò eò beatiùs nostrum pensum absolvamus, in quo propriè consistat, qualeque hoc medicorum assertum fundamentum habeat, examinare lubet, constat autem ex analysi, quod concretum sit copia particularum terreo salinarum, necnon quadam sulphurearum portione potissimùm constans; salis partem & quidem alcalini demonstrant resolutiones quæcunque, unde vitriolum consurgit, terreas in sufficienti quantitate adesse demonstrant croci, remanens ex solutionibus caput quasi mortuum, & hinc est, quod tam difficulter sit ductile, & in igne tam tardè fluat; sulphur designant croci ex vitriolo martis per ol. tartari præcipitati, uti & mars fulminans more fulminantis auri paratus, & alia inde etiam ferrum tam promptè ignescit & candescit. Tertio dubitatur, disceptaturque adhuc dum hodie, polleatne mars virtute astrictoriâ, an aperitivâ? & meritò, maximi enim hæc controversia est momenti: nolo hîc Authorum tam dissentientium sententias ad bilancem medicam ponere, sed solummodò meam ex 33. & pluribus annis exploratam mentem rei litterariæ aperire, atque dico martem seu ferrum aut chalybem utraque gaudere, & aperiendi & astringendi seu potiùs carroborandi facultate. Hoc meum dictum ut capias, in oppilationibus 2. certò adesse tibi imaginare, unum tubulos scilicet infarctos, alterum verò humores crudos oppilantes & infarcientes; Nunc prius satis percepisti, martem potiori ex parte particulis salinis & terreis constare, inde mihi absque omni dubieitatis aleâ est, particulas ejusdem salinas efficacissimè humores viscidos stagnantes attenuare, incidere, resolvere, sicque dici, aperire, adeoque agere has partes salinas potissimum in fluida & humores, econtrà cum ab hisce infarctibus tubulorum tunicæ multùm debilitentur, & in tono suo ac robore antiquo remittant, juvari rursus è portione martis terrea vi astringente, aut potiùs corrborante donatâ,

ex qua ratione omnium optimè phænomena ab uſu martialium emergentia enodari poterunt, iſtud idem etiam de pluri- mis particulis vitriolaceis, tincturis &c. intelligi cupimus, hîc adveniente quopiam acido ferrum quaſi in aluminoſam naturam, nempe vitriolum, quod magnam cum ſale affinitatem habet, convertitur ſimul reſolvens & aſtringens: poſſidere autem partes vitrio laceas vim attenuandi & roborandi patet ex guſtu, quippe poteſt id, quod notabiliter linguam & partes oris conſtringat, ſimul copioſam ſalivam movet, inde quoque vitriolum album quotidie ad granum unum exhibitum poſt aliquot dies univerſalem concitat ptyaliſmum, quærendæ ergò rerum craſes, harumque operandi energiæ; Miror nonnunquàm, tam crudè & nudè non rarò etiam ab iis, qui magni Apollines videri volunt, & alto incedunt ſupercilio, diſcurri & diſputari: unicum, quod & noſtram confirmat doctrinam, in medium profero: Quid quæſo communiùs eſt, quàm v. gr. unguentum album, aut nutritum refrigerare? utique exiſtimant per ſe, quod quidem reapſe verum eſt cenſendum, ignorant tamen hæcce unguenta ex ſaturno deſumpta habere ſuum vitriolum, conſequenter partes ſalinas tam promptè ſtagnantes humores incidentes & reſolventes, tenuium enim & cuſpiditarum ſunt figurarum, ideò penetrantium ac diſſipantium, aluminoſa autem aut terreá partem priùs affectam, ut impediatur novæ materiæ appulſio, non nihil contrahere, & ſic potiùs corroborare; Plura non addo, ſapienti hæc pauca ſufficient, ſurdo & imperito fruſtrà cano. Nunc quartò ut ea, quæ docemus ſolidiora ſint, clariſſimam doctrinam *Hippocratis* imitandó ſtatuimus in his, uti in omnibus remediis, ad abſolutos mixtorum modos unicè reflectendum eſſe, nempe ad quantitatem ſeu magnitudinem, partium ſitum, figuram & introductum motum vel quietem, inde etiam eſt (quod ab initio inſinuare volui) quòd quoque virtus rerum agentium multùm mutetur, ut infallibile prototypon habemus in mercurio innoxio currente ſublimato cum ſalibus ſumme corroſivo, dulci & centum aliis, quod revera nonniſi ab alia & alia mercurii modificatione, mutato partium ſitu, atque alia & alia inducta fi-

gura dependet; Hoc ipſum evenit in marte, quod modò palam fiet: Primo enim alia eſt modificatio in marte crudo, qui ſi in ſubſtantia (uti ſolertiſſimi Angli, incomparabiles novitatum Medicarum ſcrutatores, hôc ævô invenerunt) exhibetur, profectò plurimis neutiquam contemnendam attulit utilitatem & ſalutem quæſitam, ita ut hunc utendi modum etiam ipſum Gynæceum, me teſte, & noſcat, & recommendet alijs: Quia fortè arcanum hoc necdum in omnibus Medicorum verſatur manibus, idcircò hic annectere placet, quæ talis eſt, ℞. limat: Martis ſubtiliſſimæ unicam ſemis, ſiliquarum drachmas duas, cinam: drachma una M. divid. in doſes XX, de quibus patiens (etiam cachecticus, pituitoſus, virgines item chloreticæ) mane & veſpere doſin unam in ſeq. infuſione ſumat, ℞. limat: Chalyb. unc. ij vini generoſi libr. ij ſtent infuſa, adde ſyr. cinam: unciam unam M. Profectò hæc medicamenta chalybeata, quidquid etiam præſtare poſſunt, præſtant, verùm non æquè ubique hoc efficiunt, hîc enim non craſis ſolùm ſuperiùs explicata martis eſt conſideranda, ſed & ipſa limatio chalybis, notum eſt enim, quæcunque etiam induſtria adhibeatur, nanciſci tamen martem ipſum limatum adhucdum figuram acutam, & acuminatam, ſcindentem pariter & pungentem ac perterebrantem partes molles ſolidas, ex quo ſanè tragædia (ſi tardiùs in ventriculo aut alibi reſolvitur, aut hæc figura invertitur, ſicque vis hæc ſcindendi & perforandi infringitur) ludi poteſt: Scio Ampliſſimum Virum priùs totum Euſarcum, &, ſi ita loqui fas eſt, corpulentiſſimum ac optimè valentem ex hac cura totum (non aliter ac ſi illud ſummum deleterium pulverem ex Adamente aſſumpſiſſet) contabuiſſe, cutem undique multoties plicaſſe, tandèmque omni auxiliô incaſsùm adhibito hecticum emarcuiſſe, & ſic paulò poſt animam efflâſſe, dolendum ſectionem poſt mortem non admiſiſſe, ſecùs veritas dicto meo conformis eruta fuiſſet; fatendum tamen, ideò jam dicta media non inde nulla cenſeri, ſed duntaxat cautè mercandum eſſe, requiritur enim robur fibrarum, ſubjectum capax, acidæ & viſcidæ temperaturæ, motus corporis, qui omninò neceſſarius, ventriculus firmus & bene digerens,

gerens, atque ut absint notabiles scyrrhositates, his enim (ni singularis adsit gratia divina) utpote malo per se contumaci, rebelli & vix corrigibili magis nocent quam prosunt Martialia, ut multi authores & quotidiana id corroborat experientia, adeòque Medicus ad similia intensissimè reflectat, necesse est; potiora autem sunt amaricantia, volatilia, armoniacalia, tartarea & diuretica ac aperitiva. Itaque meâ saltem sententiâ in majori sunt habenda pretio, quia ex Marte vulgariter vel sanô judiciô & artificiosa elaborantur manu, Inde præprimis mihi placet infusio vel simplex cum vino, vel composita cum aliis additamentis, vinum enim etiam generosissimum blandum in sinu fovet acidum naturæ amicissimum, quod etiam blandissimè dissolvit corpus (alias etiam in aquâ solubile) ferri aut chalybis, hinc vitriolum ex eo longè cicuratius, longè mitius & tutius extravertitur, quare & longè securiùs in usum trahi medicum poterit, ut cuilibet parùm etiam in Medicina versato per se notum est, econtrà quò violentius est acidum v. gr. vitrioli, sulphuris eò etiam acerbius, respectivè crudius & magis Osum consit vitriolum, hinc nec ita gratum, nec ita in Medicina tutum; Extrahi autem à sola infusione dicta (imò ab aqua tantùm, corpus enim Martis porosissimum est, & maximè solubile vitriolum, testis erit gustus, testis odor, testis & color, & si placet subsequens (si tentare libet) vitriolisatio! Ex quibus satis comparet, vinum etiam generosissimum præ acidiore & communi ad similes extractiones longè præferendum fore: Dum hæc scribimus clanculum jam in confectionem vitrioli martis fuimus delapsi, ubi mirari satis non possumus censeri cordatis, & in arte asclepiadea non infimis proceribus, martem ab acido externo saturatum, internè acidum morbosum neutiquàm ampliùs absorbere, adeoque neque morbos acido ascriptos curare posse, quod sanè (ignoscant manes) infirmô stat talô: Imprimis res hæc manifestissimæ contradicit experientiæ, sal alcali tartari cum vitrioli, spiritu saturatum nobilissimum exhibet digestivum, idem ipsum sal tartari acido ejus cremore sufficienter imbibitum tartarum tartari-

ſatum ſiſtit famoſiſſimum diureticum; efficaſiſſima illa terra foliata tartari ex oleo hujus, & aceto diſtillato ſ.q. affuſo elaborato, nonne mèdicamentum in plurimis morbis exhibet non ſatis deprædicandum? Ruit ergò, quòd ea, quæ acido ſunt ſatura, nullius ampliùs in corpore usûs ſint, quod mille exemplis, ſi neceſſitas exigeret, demonſtrarem, ſanè ipſa etiam enixa & ſalſa ſuam merentur laudem ſæpè majorem quàm ipſa ſimplicia ſalia: Accedit, quod per acida inverſa metalla vitriolum ſiſtant, quaſi corpus ſalſum, cujus operandi modus eſt, ut ſupra meminimus: Inſuper in ſimilibus laboribus & inde reſultantibus novis concretis non tam ad craſin internam, ſed ad quantitatem, ſitum partium ac figuram & motum introductum aut intrôducendum reſpiciendum erit, & ſic longè ſalubriorem & ſaniorem doctrinam hauriemus, felicioresque in morbis contumacioribus etiam curandis exiſtemus: Ex quibus jam allatis dilucidè conſtat, vitriolum martis, tametſi acido ſit ſaturum, reverà tamen in Medicina ſuum habere uſum, & facultatem, ut vix ſupra de marte edocuimus. Hic duntaxat memorare lubet, cùm vitriolum ipſum martis in ſubſtantia vegetum & robuſtum requirat ventriculum, hujusque quaſi quercinas fibras, palmam præ hac, quæ ex ipſo parantur, referre medicamenta; quemadmodum in tenerioribus mihi multùm hucùſque præſtitit crocus ejus, ſeu potiûs magiſterium martis ex ſolutione vitrioli ejusdem cum oleo tartari præcipitatum & edulcoratum, acidi cujusque vitioſi in corpore latentis potentiſſimum abſorptivum, copia tamen ſatis parca obtinetur, hinc Magnatum aulis quàm pauperculis tugurijs aptius exiſtit: Nolo huic materiæ diutiùs inſiſtere, quæ enim de tincturis Extractis, crocis (uti etiam cenſendum eſt ferrum fulminans eô, quo aurum paratur fulminans modô confectum) infuſis & alijs adhuc memoranda forent, facilè ex jam dictis erui poterunt; Igitur ad alia me confero.

Inter quæ *antiſcorbutica aperitiva* caput erigunt, de quibus autem in campo elyſio p. 2. c. 4. fuſiùs agimus, ideò & lectorem benevolum eò remittimus, ubi & de incidenti-

cidentibus detergentibus, ac carminativis etiam huc spectantibus discurrimus, hoc unum memoro, Protheum scorbutum autumnô mutabiliorem esse, & facilè sub larva absconditum negotia Medico facessere, præsertim si Medicus non acuratè ad omnia phœnomena, & maximè ad juvantia & lædentia attendat, hinc plures jusculis alteratîs cichoraceîs, intybaceîs, nasturcinîs & similibus, ac serô lactis simplici vel medicatô majorem sibi gloriam conciliant, quàm alii, qui nescio quæ quadrupedantia & sesquipedalia decocta, aut nodulos purgantes (rarissimè innoxios) ordinant; sanè in hoc intemperato Archiatrorum etiam illustrissimorum plerumque flagellô dictô nisi lentè procedas, festinanter patientes ad inferos mittes; singulariter autem specificos, rogo, consideres sapores, ut & specifica opponas auxilia, nunquam autem balsamica omittas, hæc enim cadaverisationi (in scorbutô frigidô satis familiari) potentissimè resistunt, præsertim quæ ex abjete & pino, ac Junipero desumuntur, ut hîc loci centies in scorbuticis observare licuit; hinc & diluentia calida, ut potus thee, veronicæ, decocta lignorum aut cymarum &c. magni quid præstant.

De *Acidulis* quid fere sentiam, ignoro, cum sit hypochondriacorum scorbuticorum hucusque unica anchora & salus credita, ut & ego mirabiles & stupendas inde enatas fuisse medelas scio, ast hoc unicum memoro, in contumacioribus scyrrhositatibus magìs ob-quàm pro-desse; deinde abusum esse Medicorum deterrimum, ut patientes ad tantam aquarum frigidarum copiam hauriendam etiam recalcitrante naturâ cogant, & necessariò frigidè potandam esse mandent, ubique profectò attendendum, ut naturæ ductum sequamur, nec ullô modô vim inferamus; si enim bucellam panis aut carnis, &c, cum nauseâ ingerimus, & morbô corripimur, quid ni tot & tantîs vitrorum amphorîs (si cum fastidio bibimus) læderemur? sanè imperatus desuper motus non est characteristica & genuina tantarum aquarum reluctante ventriculô assumptarum antidotus, idque eò minùs, si nimis est vehemens; Novi virum Insignem Ecclesiæ nostræ Pastorem & Parochum, qui me quo-

que

que mordicùs dissuandente, hoc ita practicavit ter, sed cum dolore civium, ejulatu suorum & luctu Ecclesiæ in consistente ætate præmaturè fatis cessit, nec plura dico, cùm plura doceat meum novum hydrophylacium.

Præter supra dicta laudantur singulariter *cinnabarina* auxilia, qua autem ex ratione forsan dubitas? cùm hocce neutiquàm acido ita immediatè opponetur; sed tollo dubium, dum statuo, certum esse ex acido varia etiam convulsiva progerminare pathemata, convulsiones autem & omnes Spasmos melius solatium non nisi ex cinnabarinis obtinere, quare jure optimô etiam hîc locum vendicare, tremori enim alijsque artuum affectibus sincerissimè succurrunt, ideò *Crato* felicissimus ille trium Imperatorum Medicus cinnabarim Epilepsiæ magnetem appellavit, qui plura de his desiderat, adeat scriptores, & aureum tractatulum *Clauderi* de novo invento cinnabarino. Cæterum salia alcalia tam fixa quàm volatilia, uti & liquorem terræ foliatæ tartari &c. veram esse acidi antidotum omnes testantur scriptores, ita ut crambem bis coquerem, nec plura de his edissererem; veritus ne nauseam Lectori sine emetico moverem, si alia adderem, si hæc tibi non sufficiunt, adi etiam Basin l. 5. c. 4. §. 4.

§. V. Postquam satis superque & amari & acidi fixi Hippocratici alterantia auxilia hucusque expiscati fuimus, ordo nunc nos ducit, ut ad ipsa *Pituitæ* subsidia exponenda digressum faciamus, de his fere totum c. quartum agit in campo nostro Elysio de selectu remediorum; qui locus plura dabit, uti & seq. c. quintum; Pituita nempe cum consistat in viscido, crasso, idcircò singulariter appetit, quæ crassum attenuant, & viscidum incidunt; Primi generis sunt præprimis gummata, v. gr. ammoniacum, myrrha, horumque præparata & tincturæ, & simul modicè calefaciunt, ubi & potus calidi, veronicæ germanicæ, vel thee decocta Splenetica & lignorum olea destillata aromatica, salia fixa, magis tamẽ volatilia oleosa, Elixir. Propr. *Clauderi*, aquæ aromaticæ, carminativæ &c. Rad. quinque aperientes, item armoraciæ, fœniculi, petroselini &c. plantæ item antiscorbuticæ, sinapina &c. Insuper

aromatica

aromatica & volatilia oleosa, ut melissa, mentha &c. cinamomum, cubebæ &c. dein singulariter amara, ut absinth: centaurium, marrubium, aloe & omnia ex his & similibus parata; Imò & acida maximè tartarea & macra, ut clyssus antimonij, succus citri, cremor & crystalli tartari, fæcula acetosellæ, & si quæ alia adhuc esse possunt; hocin casu plurimùm præstant ipsa diuretica, quæ fere omne ferunt punctum: Hìc attendere & acuratè notare oportet, ut talia attenuantia & incidentia etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ applicentur, nam primo nunquàm in exhibendis calidioribus ita excedere debemus, quin non largius associemus vehiculum, ita ut simul & dissipemus, & diluamus, seu tenaciorem lympham exinde fluidiorem reddamus; Secundo potissimùm eò respiciendum erit, ut talia incidentia etiam simul vi terrestri prædita sint, partes solidas corroborante, qua æquâ lance, partes ex pituita seu dulci laxiores firmentur, & robur debitum naturale aquirant.

§. 6. Nunc tandem ad *Alterantia seri* nimis *salsi* & *acris* ac *tenuis* exenteranda provolvimur, simulque his coronidem imponimus quænam autem talia sint, rursus ea in *Basi* nostra *l. 5. cit. cap.* §. 6. invenire licebit, verbô sunt incrassantia, quæ in *Selectu Remed. c.* 7. & 6. fere describuntur &c. debentur hæc primariò humorum tenuitati, fluxibilitati, & acrimoniæ &c. gaudèntque singulariter particulìs viscosìs, mucilaginosìs, lentìs motum eorundem inhibentibûs, quô dein accidit, ut tenuitas corrigatur, cruditas hæc inspissando coquatur, acrimonia inviscetur, & spicula acria inhamentur, atque sic demulceantur; hinc conveniunt in hectica & phtysi, velut est cochlea & pulmenta; in diarrhæis & dysenterijs v. gr. pulvis antidysentericus *Cratonis*; in erosione ventriculi, pulmonum, renum &c. v. gr. syrupus de symphito *Fernelii* cum terra sigillata; in hæmoptysi, tussi tenui & acri, in mictu cruento, sudore nimio, & diabete, ut bolus armenus juxta *Hoffmannum*, tandem & in affectibus oculorum: seriem & catalogum horum non addo, quia *Basis* nostra supra citatô locô

abundè eundem recenſet, ex quibus varia parari poſſunt compoſita, looch, pulveres, pillulæ, gelatinæ, emulſiones &c. Hic (ut & alibi jam tetigimus) monere volui, ne, v. gr. dum incuſſatur tuſſis, ordo expectorantium invertatur, quippe ſedulò attendendum, acriſne tenuis ſit, an craſſa materia tuſſim inferens; ſibi enim ſola adhibenda incraſſantia, in ſecundo verò caſu incidentia, ſecus æthiopem lavabis, imò malum in peſſimum & deplorarum ruet ſtatum.

Finio hoc caput, nec cautelas adhibendorum horum alterantium morbis in qualitate peccantibus debitorum addo, utpote quibus in *Baſi* etiam ſupra allegatô locô ſatis manifeſtè ſint deſcripta; Igitur ad Evacuantia, purgantia dicta, moveor; ſit ergò.

CAPUT XI.

De
Purgantibus; an nempe & quomodo cacochymijs competant?

§. I.

ACtum agere multis videbor, dum de purgantibus ſcribere intendo, cùm tot jam illuſtres Medici hanc materiam exhauſerint, uti ſunt *Bravo*, *Bruno*, Harlacher/ *Maſſarias*, *Zecchius*, *Rolfincius*, *Pechlinus*, *Argenterius*, *Geuderus* & centeni alii, præſertim verò laudandus eſt *Leichnerus*, qui de purgatium abuſu, & *Heinſius*, qui de hoc in febribus inſignia monumenta dedère; Verùm enim verò, nemo, ut ſpero, vitio mihi vertet, ſi & ego pauca quædam (nam & ſic ordo poſtulat) ex puriſſimo *Coi* puteo & propriâ experientiâ in ſcæncm duco, atque quò limpidior eſt fons, eò avidiùs etiam aquas has cryſtallinas (doctrinam exiſtimo) haurietis, potiſſimum enim *Hippocratis* divini mentem aſſequi conabor, quippe nec ego purgantia debitô modô, ordine, locô, & tempore (omnibus ſcilicet circumſtantijs, indicantibus, coindicantibus, & contraindicantibus

cantibus ritè consideratis) exhibita aversor, incautas solùm & superficiarias exhibitiones damno, unde mihi summopere displicet, & ad animi dolorem mihi displicuit hucusque semper, quando sæpiùs inaudivi, æger hîc decumbit, ergò purgandus est, nam materia peccans aderit, quæ morbum causaverit, ergò materia hæc vitiosa confestim & purganda, quæ oratio reverà agyrtam potiùs, quàm genuinum Medicum decet; Audiant tales oraculum nostrum *Senem*, qui secundo *aph.* 10. hæc mandat: *atque si quisquam corpora purgare voluerit, meabilia ut reddat, est necesse.* Alii locô li *meabilia*, ponunt li *fluida*, sumit nempe hic dictator partem continentem pro parte contenta, scilicet pro humoribus, hos enim præparare, crassos attenuare, tenues incrassare &c. (ut in præcedenti Capite percepisti) oportet, & sic, ut arbitror, plerique aphorismorum Hippocraticorum Commentatores sentiunt, addo ego *Coum* quoque corpora meabilia reddenda esse, si fortè subinde nimia fibrarum strictura & spasmodica contractio, ac siccitas purganti medicamento obstaculo foret, ut priùs hoc in casu humectaretur corpus, quò dein facilius felix eveniret purgatio, quemadmodum quotidie id in in melancholicis experimur, qui generosissima etiam quævis medicamenta purgantia sine effectu præsertim pillulas & in sicciori forma assumunt, levî autem decocto emollienti & laxante copiosè satis moventur; non aliter ac in sudationibus nonnunquàm in malignis accidit, ubi non minùs calidioribus alexipharmacis sudoriferis adhibitis, nec gutta tamen sudoris elicitur, stricturâ tamen per debita opiata fibrarum ablatâ mox sudor copiosus summa cum euphoria ægri subsequitur, adeòque *Hippocratis* aphorismi non ità obiter intelligendi & irridendi, sed nervus & succus eorum exprimendus semperque verum statuisse experiemur.

Huc & collimare videtur *Hippocrates Quarto aphorismorum tredecimo* ubi ait, *Jam verò cum necessarius inciderit ellebori usus, eis qui ægre per superiora purgantur, ante ipsum pharmacum humectare oportet corpora pleniore nutricatu & requie*; sciendum hîc, ex mente omnium Scriptorum, per

Elleborum intelligere omne pharmacum purgans, censeo tamen ego, potissimùm intelligere illos, qui melancholiâ seu cacochymiâ acidâ fixâ laborant, hi enim ut plurimùm siccioris sunt naturæ & constitutionis, ideòque ante usum Ellebori (vel alterius medicamenti purgantis vehementioris) corpora humectatione indigere; Quòd autem mens mea ratione fundetur, apparet ex eò, quía plerunque similes patientes caput habere Elleborô dignum pronunciantur: Quomodo autem corpus humectandum sit, facilè conjecturare est, nimirùm & decoctis humectantibus, ac diluentibus, nec non balneis & fotibus res transigenda est, quò sic strictura fibrarum laxetur, corpus emolliatur, & taliter corpore prius sicciore nunc emollitô faciliùs vis Ellebori aut aliûs drastici promoveatur, quem in finem non ineptè quoque otium & somnus imperandus erit, ut apertè innuit aphorismus per li *nutricatum & requiem.* Quæ autem ulteriùs ad humectationem requirantur, aliunde ex pharmacia & diæta petenda sunt: Ut ut ita res hæc se habeat, attamen credo ego, alium adhuc nucleum in aphoristica doctrina latere, ideò frangendam esse nucem, nimirùm clanculùm nobis genuinam morborum chronicorum ex acido fixo & viscido oriundorum (quibus maximè Elleborus dicatur) curam demonstrare intendisse, ne videlicet in his casibus nimiùm in exhibendis similibus drasticis exorbitemus, sed cautissimè priùs corpus præparemus; ait enim, cùm *necessarius fuerit Ellebori usus*, adeòque priusquàm hoc fiat, res benè & optimè trutinanda, hinc *Seneca* ait: *In morbis nihil magis periculosum esse, quàm immaturam Medicinam.* Medicinam autem sumit pro purgante, hinc mos adhuc loquendi est medicinam sumpsi; id est pharmacum purgans; quò simul *Livius* intendit l. 22. inquiens: *Medici plùs interdùm quiete, quâm movendô & agendò proficiunt:* videant ergò Merdo-Medici, quàm iniquè in omni affectu mox curam â purgantibus exordiantur; sileo tristia plura exempla, quæ memoriæ adhuc manent impressa, horum enim finem nunquàm facerem: Huic doctrinæ non absonus est aphorismus 22. *sect. prima* qui decernit ita: *Concocta*

cocta medicamentô purgare ac movere oportet, non cruda, neque ineunte morbô, nisi materia turgeat, plurimùm verò non turget; Quid sit coctio, & quotuplex ex Basi nostra l. tertio c. 2. §. 4. erui potest, ex quo loco facilè desumitur, quid per li *concocta* integerrimus noster *senex* subinnuere cogitarit, nempe ut ea morbosa semina, quæ tragicam in corpore scænam ludunt, ita ad excernendum disponamus & præparemus, ut posthac promptè vocanti pharmaco (seu sursum, seu deorsum) educenti victas præbeant manus, & sic saburrâ morbificâ velut causâ eliminatâ etiam ipse morbus totus ê medio tollatur, frustrà etenim naturam fatigamus talibus drasticis, si humor ad excernendum ineptus est, id est crudus; non aliter ac videmus glaciem, ut glacies est, per filtrum nunquam transire, nisi priùs in aquam resolvatur, aut aquam vulnus nunquàm infligere potentem esse, nisi vi frigioris in glaciem (quæ dein & scindit, & perforat ac contundit) convertatur, adeòque manifestum fit, nihil in physicis rebus bene agere aut movere, nisi quæ ad motum suscipiendum ritè disposita sunt, sic & lignum viride igni tamdiu resistit, donec calore humiditas consumatur, & idoneum ad comburendum habilitetur, sic sane cocta tantum id est ad excernendum disposita movere debemus; addit *Cous neque ineunte morbo nisi materia turgeat*; ubi clarè nobis insinuare intendit, non velle ullum medicamentum purgans agitatorium in progressu morbi (præsertim acuti & febrilis) præscribere, ne scilicet vel majorem confusionem & mixturæ læsionem in sanguine excitemus, vel ne viribus jam satis à morbo fractis ipsam acceleremus mortem, inde addit, *neque ineunte morbo*, id est in principio, *nisi materia turgeat*; Quid per li *turgeat* intelligendum, aptè ex græco hariolaberis, provenit enim ab ὀργάω, quod significat impatienter appeto, ab ὀργὴ impetus, & ἄγω impello, dum nempè materia impetum quendam corpori & quidem ex plenitudine quadam infert, præsertim primis vijs varia causat atrocia symptomata, & in his casibus non drasticum quoddam purgans, sed potius Emeticum requiritur; addit autem aphorismus, *plerumque autem*

 non

non turget, adeòque etiam rariſſimè in morbis iſtis purgandum; Ut emphaſin ſui aſſerti demonſtraret, repetit *ſecundo aphor.* 29. fere hoc idem inquiens: *Ineuntibus morbis, ſi quid movendum videtur, move, nam ijs vigentibus quieſcere ſatis eſt*; iſtud idem prius jam monuit adhuc *primo aphor.* 24. dum ſcripſit; *In morbis acutis raro, ac ineunte morbo (ſi id faciendum) pharmaciæ eſt locus, atque id ante adhibitô ſingulariter judiciô:* Quemadmodum in primo decrevit, ſolùm concocta movere oportere non cruda, neque ineunte morbo &c. niſi turgeat; in altero expreſſè ait, tantùm in principio morborum (nam in alijs temporibus quieſcendum eſſe) id eſt febrilium affectuum, quod movendum videtur, movendum eſſe, qui de cætero coctionem pathologicam non perturbandam eſſe, perturbari enim in ſuo munere, perverti conatum naturæ, morbùmque aut exitialem, aut in alium fortè longè pejorem immutandum fore, quod frequentiſſimè accidit, ut millena (quæ adducere poſſem) exempla hujus rei teſtes proſtant, ſæpiùs enim intermittens mutata in acutam lethiferam, ſæpiùs tertianam in icterum & exitiales acutas, ſæpiùs colicas in paræſes mutatas &c. vidi; hinc in tertio modo adducto aphoriſmo addit, ut mentem ſuam apertiùs declararet, li *idque adhibito ante ſingulari Judiciô*, nempe ſi etiam omninò in principio quidpiam purgandum videatur, nullâ tamen hujus habitâ ratione, ſingularem adhuc reflexionem & acuratum judicium antequàm Medicus ad purgationem accedat, faciendum eſſe; conſiderent ergò ij, quâ cum conſcientia in omnibus fere morbis mox ſua exitioſa medicamenta purgantia adhibendô, curam incipiant, cum illis non habeo partem: Magis hoc confirmat, nempè purgationem, ſi quæ neceſſaria cenſeatur, maturandam eſſe, *quarto aphoriſmorum decimo*; *ſic. in valde acutis, ſi materia turget, eadem die, tardare enim in talibus malum eſt*; hoc axioma explicatione vix indiget, cùm omnia & ſingula fere ex ſuperioribus pateant, ſolùm addo per li, *eadem die*, non videri *Coum* intelligere velle, eadem die, quando medens vel ex incuriâ, vel parſimoniâ ægri ſeriùs ad medelam, ut frequentiùs accidit,

accidit, evocatur, ſed *eadem die*, quâ materia turget, & inſenſa excitare ſolet Symptomata, Expertus hæc centies ſcribo, ubi ſæpè truculenta mortem illatura ſymptomata apparebant, unicô tamen Emeticô propinatôomninò ablatus eſt metus.

§. 2. Sollicitus prorsùs in propinatione auxiliorum evacuatoriorum fuit *Hippocrates* inde ratione quantitatis poſuit *ſecundo aphor.* 51. hæc: *plurimùm & repentè evacuare, aut replere, aut calefacere, vel refrigerare, vel quovis aliô modô corpus temerè movere, periculoſum, omne enim nimium naturæ bellum indixit, quod autem fit ſenſim & viciſſim, periculi expers eſt, idque tum aliâs, tum ſi quis ab uno ad aliud ſe convertit*; loquitur quidem hic aphoriſmus de omni repentina repletione vel inanitione, ſed quæ reverà ſemper periculi plena eſt; experieris hoc in reconvaleſcentibus, & in aliis quamplurimis caſibus millies, maximè autem locum ſortitur in purgantibus, certum enim imò certiſſimum eſt, non ſolùm vehementioribus ſubductoriis liquari humores corporis etiam optimos nutritios, ſed etiam diſſipari, imò inverti, ac educi ſumme neceſſarios Spiritus vitales ac animales, hinc languet corpus, vires deperduntur, imò etiam deliquia ac ſyncopes ſubſequuntur fatales; Nolo cadavera ex perverſo hoc purgandi uſu demortua in ſcænam hanc tragicam ducere, ne lector præ fætore nares teneat; ſcio ex nimia hac evacuatione abortus plures, neces centum & ampliùs, elanguidos & inde hecticos innumeros; addit perbellè rationem Divinus *Senex* dicendô, *omne enim nimium naturæ bellum indixit, nam quod ſenſim fit, periculi expers eſt*; Machina eſt corpus humanum artificioſiſſima multîsque paranſangîs præcurrit omnia etiam dædalea automata, in quibus etiam minimus defectus vel exceſſus aut corruptela totum deſtruit artificium, & horum quàm pauci ſunt memores, dum tam licentiosè, dixerim, vel malitiosè ſuis tam exitiabilibus medicaminibus ſubductorijs ita in prototypon divinum debacchantur? creatus enim eſt homo non in lanienam hominum, ſed ad beatitudinem æternam, ſi meruit pœnam, aut mortem, carnifex non Medicus ad hoc opus eſt deſtinatus, hujus enim officium non

eſt

est occidere, sed sanare, *creavit enim* (teste sacro codice) *illum altissimus, & vir prudens rejicit eum*; Quis autem non rejiceret, si occideret?

§. 3. Insuper nobis *Dictator* noster incomparabilis regulam ratione qualitatis *quarto aphorismorum secundo* præscribit ita: *In artificiosa purgationis molitione, talia semper ê corpore sunt excludenda, qualia si ultrò manarent, bono essent, nam quæ secùs prodeunt, prohibere oportet*: triplicem esse purgationem criticam, symptomaticam, & artificiosam palam est omnibus, & repetitur etiam in nostra basi ultimam hîc intelligit *Senex*, inde absolutè mandare videtur, nos semper & ubique primò & per se naturæ conatum & tolerantiam respicere debere, ait enim, *si talia ê corpore excluduntur, quæ commodo essent eidem, si spontè sine Medici operâ fluerent*, tunc officiô nos nostrô egregiè functos esse, secùs, minùs; Idque experimur momentanèe, plures imò plurimos in mundo vivere, quibus natura suapte criticâ quasi evacuatione quadam, sive sit per hæmorrhagiam, sive urinationem copiosam, aut evacuationem aliquam purgatricem omnium optime auxiliatur, ita ut inde tales hasce imminutiones & optimè ferant, & inde toti alacres & vegeti evadant; similem ergo *Cous* artificiosam quoque purgationis molitionem expetit, non quæ febrem quandam artificialem producit, sed quâ meliùs & alacriores vivimus, munijsque nostris laudabilissimè fungimur, atque hanc ipsissimam rationem confestim seq. *aph.* 3. subiungit sic: *Etenim, si qualia purgari debent purgantur, confert & bene ferunt; contraria verò graviter.* Aureum sanè est hoc statutum, vult enim, ut materia morbifica solùm sine colliquatione humorum laudabilium (in quo exclusionum similium rei cardo consistit) ê corpore, & quîdem tam quoad qualitatem, copiam, tempus & excernendi modum convenientem eliminetur. Quippe sublatâ sic solùm causâ præpeditur ulterior morbi progressus, vires ægri redintegrantur, & antiqua redit virtus ac robur; Ex adverso omnia súsque déque vertuntur; Hoc expertus sum frequentissimè in hystericis, hypochondriacis, crapulosis, vitæ sendentariæ deditis quibus

bus semper fere tales purgationes periculosas vidi, imò & convulsiones subsecutas esse, testis sum, inde meritò â talibus abhorrui, atque ab alijs exhiberi salivam mihi summopere movit.

§. 4. Doctrinam hanc, credo ego, singulariter *Coo* cordi fuisse, istam enim jam priùs *primo aphor.* 25. tradidit iisdem fere verbis, nempe; si *qualia purgari oportet, purgentur, confert, & facilè ferunt, si contra difficulter*; adeòque elucet solùm ea, quæ moveri debent, movenda, neque omnia in corpore etiam invertenda esse. quod palam fit *ex primo aphor.* 23. ubi ait: *Dejectiones non â copia aut numerô metiri oportet, sed prout qualia decet, feruntur, & ægri ferunt ex facili, nam si vel ad lypothimiam usque movendum sit, id sanè faciendum, modò æger par esse possit*; Attendant hîc insani (sit venia verbô) merdicastri, qui solùm omnem se paginam absolvisse credunt, si integras amphoras S. h. cacandô impletas vident, numerosissimàsque dejectiones factas esse exaudiunt, ut nuper litterato cuidam accidit, qui ab exhibitô pharmacô numeravit vomitiones 20. & sedes non ampliùs numerabiles, quô factum, ut posthac longissimô tempore valetudinarius vixerit ac gravissimè se recollegerit: Pagus est prope *Lacum Tigurinum*, ubi confectio quædam, quam thæriacam sed pessimè nominant, paratur purgans, cujus primarium, ut audio indredidens est vitrum antimonij, hæc licèt ab inclyto *Tygurino statu* maxima sub pœna pro hominibus venditanda, utpote solùm pro medicina veterinaria habita caveretur, attamen hinc inde â nequam lucri-cupidis divendebatur, ex qua frequentes oborti abortus, non raræ subsequutæ convulsiones, imò & centum evenêre neces; ex quibus palam fit, ubique attendendum esse ad quantitatem rei morbificæ, quæ educenda est, non enim omnimodè copiosas dejectiones prohibet *Senex*, cum & ad lypothomiam usque eam concedit, modò id, quod in corpore peccat, educatur, suadet tamen, ut moveantur, quæ decet, & penes ad ægri tolerantiam & vires respiciendum esse, ait enim: *& ægri ferunt ex facili, &c.* Item *modo æger par esse possit*; si tan-

 dem

dem ad lypothomiam (rariſſimè autem hoc fiat, neceſſe eſt) uſque evacuandum corpus videbitur, corpus enim non debet eſſe rarum, ſeu raræ, ſed ſolidæ texturæ, ſucci plenum, ætas ſit ab anno 20. ſeu 25. uſque ad 40. partium ſolidarum etiam internarum ſit debita integritas, & tempus aptum, ubique autem cavendum, ut ſolùm levius deliquium, non verò ſyncope integra eveniat, adeoque rariſſimè hoc practicandnm.

§. 5. Poſitîs & ſatis exenteratîs hiſce anxius etiam eximiè fuit *Hippocrates*, nam & viam evacuantium nobis inſinuare voluit *primo aphor.* 21. dum dicit: *quæ ducenda ſunt, eò ducenda, quò maximè natura viam affectat, per loca lege naturæ commoda*; ſummam in ducendis humoribus vitioſis cautelam adhibendam docet nos adductus aphoriſmus, oſtendit enim non ſufficere ſcire quæ, qualia, & quomodo &c. ducenda, ſed & vult nos inſtruere, per quam viam ea movenda ſint, ubi clarè demonſtrat, ipſam imitandam fore naturam, quò iſta viam affectat, & quidem non ſymptomaticè, ſed quaſi criticè, & cum euphoria ægri; Non poſſum hîc reticere caſum, qui mihi contigit, videlicet decumbebat quidam inſignis Capitaneus Curienſis patriâ, nomine *Travers* colicâ convulſivâ, qui ê proximo loco vocavit Medicum, theoreticum & ſtudiis bonum, practicum nullum, cujus curæ nec aſinus nec cattus concredebatur, hîc cùm vomitus eſſet bilioſus ſymptomaticus copioſiſſimus, ex inverſo nempe motu inteſtinorum periſtaltico, ex hac aphoriſtica doctrina ductus, Emeticum ſat vehemens propinat, cujus inſignem effectum admiratus quidem Generoſus paciens, ſed levamen nullum ſenſerat, imò dolores artuum, paræſeos prodromi; ſubſequebantur; altero die cùm colica perduraret, continuarètque vomitus, per inferiora purgandum corpus ratus, pillulas purgantes exhibet, ſed reverà non ſolùm ſine omni effectu, verùm etiam res tota in pejus ruere animadvertebatur, vocor ego tertiô die, qui ſatis malè rem actam, ſimulque tremores unà cum doloribus artus obſidere conſpiciens operam quidem meam, quam poſſem, pollicitus eram, & dum clyſteres

ſteres emollientes; atque interna antiſpaſmodica media applicare ſtudebam, alter ſupervenit, cui cùm clanculùm indigitarem curam hyſteron proteron inſtitutam eſſe, me tanquam tum juniorem mox increpat, videlicet noſtrum aphoriſmum objiciens, *naturam*, *quò vergit*, *ducendam eſſe*, hinc ſecum rurſus vomitorium attuliſſe, motum enim naturæ ſurſum tendentem omninò promoveri, & ſic malum tolli debere; bonus Vir adhuc in vivis memoriæ quidem dictum axioma profundè impreſſit, nucleum tamen ejus neutiquàm penetravit, quod paucis verbis illi demonſtravi, nimirùm alium ſubeſſe ſenſum, nec de omni naturæ tendentia verificari aphoriſmum, ſolùm igitur de motu critico ſeu ſaltem, qui fit cum ægri euphoria, intelligendum fore, quis enim quæſo in dyſenteria, quis in immodicis menſibus aut lochijs, quis in hæmoptoë &c. quis in diabete, quis in alijs quibuſcunque copioſis & ſymptomaticis fluoribus uberiùs ſanguinem &c. incitare & evacuare prudenter audebit? ex quibus clarum & palam fit omnibus, genuinum aphoriſmorum ſenſum enucleandum, nec ita obiter, ut verba ſonant, attendendum eſſe, quibus acquievit, & Paciens, licèt ægrè, intra octiduum integræ ſanitati reſtitutus, qui aliàs ex ſiniſtra *Hippocratis* interpretatione vel proximè cymbam charontis ſalutaſſet, vel ſaltem paræſi afflictus ægerrimè ſanitatem priſtinam recuperaſſet; Vult inſuper textus, ut *per loca lege naturæ commoda* inſtituatur motio, ſæpè enim natura per alia & aliena, & non juxta leges naturæ etiam cum tolerantiâ loca viam affectat, ut innumera habemus exempla, quod nonnullis menſes ordinatim per canthos oculorum, per nares, perque papillas mammarum &c. fluant, & de cætero ſatis commodè vivant; videtur igitur divinus *Senex* fluxum hunc potiùs ad loca convenientia (modò natura obediat artifici, ſecùs in antiquo relinquenda res ſtatu) movendum eſſe, & ſic in reliquis.

§. 6. Aphoriſmus hic præcedens in generalibus adhuc manſit, ſequitur magis particularis hic, *quarto aphor.* 18. ubi ſic ſcribit: *Dolores ſeu affectiones, quæ partibus ſupra diaphragma*

diaphragma oboriuntur, quicunque sunt purgationis indigentes, superiore pharmaciâ opus esse significant, qui verò infra, purgationem infernam requirunt. Hic aphorismus priorem 17mum, uti singulariter ostendi in nostra *Basi lib. 5. c. 4.* §. 10. ubinam Emesys artificialis locum habeat, nempe si febris abest, cibus autem fastiditur, os ventriculi mordetur & amarescit, vertigo item tenebricosa molestat, tum vomitione opus esse; Ecce quàm bellè coincidant, in nostro autem generaliùs loquitur, nam & ad alias affectiones supra diaphragma, NB. quæ sunt purgationis indigentes (non omnes) sermonem suum dirigit, adeòque non solùm in oris amaritudine absque febre, & nausea &c. vomitoria, aut alia per superiora evacuantia v. gr. becchica (quæ singulariter morbis pectoris evacuandô merentur) sed & Errhina, ptyalmica &c. esse propinanda existimat, affectiones autem ita sint constitutæ necesse est, ut tota earum curatio in purgatione consistat; Quod alterum concernit aphorismi membrum, hoc itidem intelligendum est quasi superiora repeteret dicendô: *dolores seu affectiones quæ partibus* infra diaphragma oboriuntur, quæcunque purgationis sic NB. sunt indigentes, infernam purgationem requirunt, adeòque neutiquàm omnes affectiones infra septum transversum purgans requirunt, ut luculenter in proposito casu de colica convulsiva percepimus, sed etiam ejus sint indolis, ut purgationi tali omnis causa morbi, & sic morbus ipse auferatur, hinc & in ijs casibus, ubi genuum adest gravitas, lumborum cruciatus, & singulariter dolor umbilici, plerumque tympanitidis prænuncius, utpote â flatibus & Spasmodica distensione resultans, purgantia locum non sortiuntur: Accidit quondam mihi, ut Netrix vitæ sedentariæ dedita adhuc cælebs circiter 40. annorum de lassitudine membrorum, cardialgiâ, oris amaritie conquereretur, habitus corporis satis luridus ad flavedinem inclinabat, præscripsi nodulum antictericum ex chelid. maj. rheô, & scrup. semis colocynth. pro mensura integra, quid fit, spe recuperandæ valetudinis bibit duobus successivis manè pro dosi unc. quinque calidè, sed pessimô successu, dolores enim circa umbilicum

augeban-

augebantur, & abdomen totum tympanitice distendebatur, ita ut, dum illa vice locum mutassem, nunquam amplius ad frugem redierit, sed ex hoc malo tandem satis sine mea, ut spero, culpâ cesserit: Hoc idem præcavet *Senex quarto aphor. undecimo* inquiens: *quibuscunque tormina & circa umbilicum cruciatus, lumborumque dolor adest, qui non discutitur nec purgatione nec aliter in hydropem siccum firmatur*; manet itaque firmum, quod *Coi* sententiæ ritè examinandæ veniant, & veritatem dixisse deprehendemus.

§. 7. Rursus pessimum purgandi abusum damnat *quarto aphor. decimosexto* exclamans: *Elleborus calamitosus est ijs, qui sunt integra valetudine, nam convulsionem adfert*; In hoc asserto videtur *Hippocrates* non solum taxare illos, qui drastica & vehementiora (qualia sunt Elleborata & quævis alia evacuantia enormia, quæ sub Elleboro subintelliguntur) purgantia exhibent, sed magis eos, qui sanis talia etiam præservativè in vere nempe & autumno exhibere non erubescunt; Meherclè quando mitiora etiam præsertim hypochondriacis & hystericis ac alijs tenerioris habitûs præparata ex fumaria cum sennæ folijs teste *Heurnio* in hunc locum in perniciem cesserunt, cur non potius in interitum ducerent fortiora? Credo ego longè facilius & minori cum periculo antiquitus corpora, utpote duris nata, firma, quasi Quercini roboris, luxui nondum assueta tulisse Elleborata, quàm modernô seculô etiam mitiora ferimus; dein sanctè monet lumine naturæ ductus noster *Protoparens ijs, qui sunt integra valetudine Elleborum* (seu quodvis aliud generosius purgans) *calamitosum fore*, cùm & ipse *sacer textus* mysteriô fidei nos doceat, *non opus esse bene valentibus Medicô &c.* Quare jure meritissimo hærendum & deliberandum diu, antequam quid tale præscribamus præservativè, maximè autem in ijs, qui tenuioribus, & fluxibilioribus onerantur humoribus, in his enim aliàs facillimè in liquamen ij abeunt, causam addit, nam convulsiones afferre, scilicet dum fluida colliquata in nimia quantitate evacuantur, partes solidæ suô defraudantur & nutricatu & blandô rore, sicque eædem nimiùm exiccan-

 tur,

tur, irritantur, & tandem convelluntur, ut frequentiſſima exempla hoc confirmant: Hæc materia ſingulariter *Coo* animo erat, dum adhucdum de hac duobus in locis orationem inſtituat, videlicet *ſecundo aphor.* 36. ubi ait: *Qui ſano ſunt corpore, dum pharmaciâ purgantur, celeriter exolvuntur, atque hi, qui pravo utuntur nutricatu*; confirmat hoc ſeq. 37. inquiens; *qui ſecura ſanitate fruuntur, hos purgare grave eſt*; Memorabile eſt *Hippocratem* in tribus dictis poſitionibus quoad ſanitatem tria eaque diverſa poſuiſſe Epitheta, nempe, li *integra valetudine*; Hæc ut exactiùs enodemus, conſiderandum propono, ſanitatem dupliciter conſiderari debere, unâ ratione, quâ intelliguntur illi, qui per omnia tempora ſano ſunt & vivunt corpore absque omni quoad tres partes eſſentiales, præprimis verò quoad fluidas defectu, nempè actiones ſuas laudabiliſſimè obeunt, & ſic ponit li *ſano corpore & integra valetudine*; Quamvis ſub aliô titulô etiam li *integra valetudine* ſumi poſſit, nimirùm alterà ratione, integratà ex morbo valetudine, ſub quo nomine præ alijs ponit li ſecura, id eſt victò per plenam criſin ſeu dein per notabilem evacuationem, ſeu metaſtaſin ſecuram morbô rurſus ad frugem & ſanitatem priſtinam redeunt, ubique ſanè & pharmaciá purgante neutiquàm opus, aut grave ſeu periculoſum eſt, quemadmodum etiam reconvaleſcentes paulò pleniori victu utentes ſummè læduntur, ut millies expertus, cur non potiùs â purgantibus, ſingulariter colliquativis, & novas turbas (vix prioribûs ſopitîs & ſuperatîs) cientibus id evenirèt? minorativa tamen & leniora primas vias leniter moventia non improbo, nam quæ judicata ſunt plenè, non ampliùs perturbanda, & hæc quoad li ſanitatem; Alterum autem quoque membrum penultimi aphoriſmi æri inſculpi pro æternâ memoriâ meretur, quod ait; *hi qui pravô utuntur nutricatu*, quôd purgati æquè ac ſani celeriter exolvantur: Reſpicit hic aphoriſmus ipſiſſimam noſtram de cacochymijs doctrinam, pravus enim nutricatus denotat pravos in corpore humores, unde & prava eidem nutritio accedit, & cacochymus fit ejus habitus, qui potiùs & quidem unicè

alteran-

alterantia non purgantia requirit, ut superiùs fusiùs edoctum est, coqui nempe pathalogicè humores vitiosi, id est ad excernendum disponi debent,] antequam evacuantia locum habeant, secùs vires adhucdum ex laudabili aliquali (si quis etiamnum superest) sanguine & Spirituum minutijs toti quanti exhauriuntur, resolvuntur & pereunt, inde tot lachrymæ, tot cernuntur orphani, tot plorant viduæ; Profectò perniciosius in medicina nihil est, quàm mox ad talia drastica transire, & quâ conscientiâ id practicent medici, non video, *cocta enim non cruda* juxta [divinum *Senem* medicari, oportet, quod quivis æquissimus rerum Arbiter (hinc plura dare supersedeo) ipsemet dignoscet, Quippe in cacochymijs seu intemperato Hippocratico quò leniùs (experto crede Ruperto) tractabis ægrum, & per epicrasin ac intervalla minorativis evacuabis, eò feliciùs progredieris, nisi omnimoda cacochymica plethora adsit; sit hæc admonitio cuivis Medico exemplo, & non adeò semper purgantia crepet.

§. 8. Sollicitus insuper eximiè fuit noster *manuductor* de sequiori *Sexu*, præsertim tempore ingravidationis dum *quarto aphor. primo* dicit: *uterô gerentes sunt medicandæ, si materia turget quarto mense, & usque ad septimum, sed hæ minùs; à Juniore autem fœtu, & seniore abstinere oportet*: Concernit hæc oratio mulieres gravidas, quas itidem purgari posse contendit ut crebriora id modernô tempore testantur exempla, verùm illa tantùm conditione, *si* NB. *materia turget*, neque etiam in omni orgasmo seu turgescentia, sed solùm *quarto mense* & *usque ad septimum, sed has minùs*; cur autem his temporibus? ratio in promptu est, & quidem juxta communiorem omnium sententiam, accidit enim fœtui, quod accidit fructibus, qui initio adhuc molliores, & in fine jam pedunculô senescente ac corrugatô facilè decidunt; seu quæ mihi magis placet ratio est, quod ab exhibitis purgantibus velut irritantibus tam in juniore quàm maturiore fœtu uterus facilè convellatur, contrahatur, & sic fœtus vi quadam pressùs expellatur, ibi ob teneritudinem vasorum, hîc verô ob ejusdem pondus

aliàs

aliâs jam exitum quærentis; Quinam autem propriè censeatur quartus mensis, adhuc in controversia esse nonnullis poterit, dico autem absolutè tum esse, dum fœtus non solùm jam animatus est, sed jam notabilius moveri incipit; Sollicitudinem hanc suam abundè contestatus est *quinto aphor.* 29. dum fere hunc ipsum textum repetit his: *gravidas purgare turgente materiâ â quarto mense usque ad septimum, minùs verò has, Recentiores autem & seniores fætus cavere oportet*, repetit nempe suum discursum, ut emphasin dictionis demonstraret, hinc etiam ibidem aphorismo 34. ait; *mulieri uterô gerenti, si alvus plurimùm profluat, periculum est, ne abortiat*; quasi diceret, si in spontaneo alvi profluvio abortus evenire potest, utique magis in artificiosa & facilè convellente purgatione hoc accidit. Non solùm autem sollicitus, sed & anxius pro fæminino genere utpote ejusdem non infimus amicus fuit *Hippocrates*, nam dum ingravidatis, ne tam inconsideratè purgentur cavit, etiam non gravidis prospicere voluit, inquit enim eadem *s. 5. aphoris. 36. mulieri si fluxerint decolores, qui nec eodem modô benè correspondeant, purgatione opus esse significat*; ubi clarè vult naturam esse imitandam, corrigendam, ac ad hunc consuetum motum incitandam, atque sic omnia in salvo fore, inde ad causam respiciendum, quæ potissimùm in sanguinis (inde attenuandi & in fluorem redigendi) viscidìtate consistit, quo in casu purgantia palmam, si cæteræ circumstantiæ sint pares, reportant, multa enim subinde dantur contraindicantia, quæ, nisi quædam indicent, omninò purgationes prohibent, ut cuivis patet.

§. 9. Hîs ita elutriatîs devenimus nunc quoque ad *loca*, per quæ motio fieri debeat, assignanda, supernè an infernè evacuatio instituenda, quæ denuò noster *Cous* incomparabilis designat *quarto aphor. sexto.* dicendo: *graciles, & facilè vomentes purgare oportet per superiora caventes hyemem.* Postquam ut superius jam percepimus *primo aphoris.* 21. jussit, ut naturam imitaremur, & non evacuantia digereremus, ad loca, quò natura cum euphoria tenderet, nempe lege naturæ commoda. Hic incipit talia loca

&

& vias assignare ; videtur autem hîc subintelligere per *graciles* illos, qui intemperatô amarô sunt prædíti, hi enim sunt ob humores satis acres & tartareos plerumque tales, & corpore quasi extenuati, ac inde etiam facilè vomunt. Hanc meam opinionem etiam subsequens aphorismus 17. in hac sectione confirmat, qui supra jam allegatus fuit; in istis materia utpote mobilior facilè Emeticis præsertim mineralibus magis irritantibus quàm colliquantibus cedit, secùs enim Emetica vegetabilia agunt, utpote quæ etiam simul summam vim colliquativam habent conjunctam. Jubemur tamen cavere hyemem, veluti tum humores biliosi, vel essent suppressi, vel saltem minùs mobiles.

§. 10. Prout cavit biliosis, seu cacochymiâ biliosâ laborantibus, sic etiam *pituitosis* voluit prospicere *seq. aphoris. septimo* dîcendo: *contra qui ægre vomunt, & paulò habitiores, mediocrisque habitudinis, per inferiora sunt purgandi, cavendò æstatem*; nempe isti intèmperatò dulcî Hippocraticô affecti *ægrè vomunt*, utpote quod tardiùs per superiora mobile est, viscidum enim plerumque exuperat; voluisse autem hoc dulcè hîc insinuare, declarat quasi claris verbis per *Tò paulò habitiores mediocrisque habitudinis*, ut sunt pituitosi homines, quos magis per inferiora purgare mandat, magis enim tales humores acrioribus paulò purgantibus cedunt & ad inferiora ducuntur, velut etiam adiposi longè felicius sic evacuantur; penes jubet, ut caveamus æstatem, ubi vi caloris Solis, & temporis calidioris aliàs pituita excoquitur & exolvitur, adeòque non ampliùs purgantibus exolvenda: Pergit aph. 9. in hac materie, dum ad *melancholicos* transgreditur aiens; *melancholicos pleniùs per inferiora purgabis, eadem ratione contraria apponentes*: duriores enim habent fibras minùs irritabiles & humores ægerrimè mobiles, adeòque pleniùs purgandi, intellige, materiâ priùs pathologicè adaptatâ & coctâ, ita ut dein medicamento moventi citiùs auscultet; plura ex superioribus desumes: superest adhuc unicum intemperatum videlicet *serosum, quod præcedenti aphorismo octavo tetigit ajendo: sed tabidorum ratio est habenda, ne purgatio-*

 nem

nem ijs per superiora unquàm moliendam putes. Isto in passu cautissimos nos esse prætendit *Cous*, quippe qui intemperie serosâ afficiuntur, catarrhis tenuibus & acrioribus etiam pulmones facilè debilitantibus fiunt obnoxij, ac humores quaqua versum purgantibus impelluntur, hinc macrescunt, & præcipitanter, ni cautè procedas, colliquationem & inde tabem inducis, si verò jam tabidi existunt, potiùs attemperantia, înviscantia, nutrientia &c. non deplentia expetentur, ut hoc omnes inculcant libri Medici; præsertim mandat, *ne per superiora unquàm purgemus*, labefactatô enim â continuo serosi humoris diluvio partium vitalium tonô facilè major affricatur labes, quod bene notandum, non tamen omne evacuans in illis prohibetur, nam praxis docet, sæpiùs summa cum euphoriâ, rheò, mannâ, tamarindis &c. illos purgatos esse. Restat nunc, ut & *tempus anni* purgando corpori aptum & commodum pro coronide designet, hinc eadem *s.* 4. *aphoris. quarto* dicit: *medicamentis purgandi æstate quidem superiores magis ventres*, *hyeme verò inferiores*; sensum hujus asserti levissimô negociô ex jam dictis desumemus; tandem adhucdum *seq. aphor. quinto* addit ponendo: *sub cane & ante canem perdifficiles sunt purgationes* quasi assereret, posse quidem corpora hisce temporibus purgari, ast leniter, secùs difficilem satis provinciam & quidem periculo in nos suscipere, usque tamen ad anni constitutionem respicere oportet, velut hac æstate 1709. dum hoc scribo, ubi tempestas austrina & satis frigida prædominabatur; urente econtrà syriô corpus per se vehementer æstu exolvitur, & debilitatur, & quia actus purgatorius actus quidam quasi febrilis est, dum non sine metu incendij febrilis purgatorius hic actus instituitur. Denique ut doctrinam hanc aphoristicam compleamus, adhuc adducenda est divini *Senis* adhortatio, quam statim *primo aph. secundo* nobis proponit ita; *In perturbationibus ventris, & vomitibus spontaneis, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert & leviter ferunt: sin minùs contra. Sic & vasorum inanitio, si talis fiat, qualis fieri debet, confert & bene tolerant: sin minùs contra. Inspicere ergò oportet & regionem, & tempus, & ætatem,*

ætatem, & morbos, in quibus conveniat, aut non. Duo principaliora habet membra hæc poſitio ; In primo expreſsè nos attendere in purgationibus jubet ad euphoriam & dyſphoriam jam ſuperiùs abundè explicatâm ; In ſecundo quasdam circumſtantias attendere neceſſe dicit, primò enim inſpicere jubet regionem quam purgandus inhabitat, quippe qui Zephyro ſunt proximiores, leviorî quoque exagitantur pharmacô, econtra qui ſeptentrioni ſubſunt, ut corpora multò duriora & humores denſiores ac craſſiores habent ita difficillimè moventur, planè velut in ſecunda partè demonſtravi, ut pro varietate climatis & regionum diverſificantur ingenia & mores, ſic & corpora & humores, quare eximiè in exhibendis ſubductorijs auxilijs penſitandæ veniunt ; Hæc ipſa ratio forſitan eſſe poterit, cur ſubinde naſutulus quisquam innocentem *Hippocratem* dirè traducat, & diſcerpat, quaſi doctrinam minùs veram minùsque aphoriſticam poſteris reliquiſſet, dum multa, quæ ſcripſit, noſtris terris minùs applicabilia eſſent, minùsque ſic verificarentur ; ſed calumnia profectò eſt hæc opinio, quæ à ſuperficiaria aphoriſmorum lectione (non attentatô eorum nucleô) promanat : Imprimis enim ſcripſit *Cous* in Græcia, cujus genium & naturam ex aſſe aſſecutus fuit, & huic ſuam dedicavit & applicavit doctrinam certiſſimam.

§. II. A capite ut autem & univerſaliorem illam redderet, ſimul divinas quaſi admonitiones hinc inde in alijs regionibus omnibus applicabiles immiſcuit, hinc innumeris in locis in qualibet re ſuas cautelas addidit, quemadmodum & mox ab initio ſuæ dictionis illud oſtendit, dum præmemoratô *aphoriſ ſecundo ſect. primæ* ſingulariter inter alia in movendis corporibus regiones attendere jubet: Alteram *circumſtantiam* nempe *Tempus* quod concernit, uti & *ætatem* ac *morbos* non eſt, quòd plura de his in medium ducam, abundè enim & fere ad nauſeam in hoc capite de ijs egimus, atque cum prolixe ſatis & aſiatice in hoc paſſu tractaverimus, tibique fortè lectio hæc tædium pepererit, omninò laconicè totum hoc caput ad cancellos anguſtiores per tritas illas indagandi Quæſtiunculas videlicet

Quis? Quid? Ubi? Quibus auxilijs? Cur? Quomodo? Quando? reducam, nimirum ut eluceat, quam induſtrius in exornandis purgantium medicamentorum regulis fuerit noſter incomparabilis *Hippocrates*, adeò quidem, ut nihil amplius (ſi ad æquiſſimum ſcrutinium res trahatur) deſiderari poſſe videatur, ſeu dein negocium *implicitè*, ſeu *explicitè* conſideretur; Tranſeamus ergò ad laconicum diſcurſum & quidem primo ad numer. 1. *Quis?* nempe purgandus ſit, hoc in ſtadio locum habere poteſt *differentia* illa ſanitatis Galenicis familiariſſima *triplex*, videlicet *abſoluta*, *morboſa*, & *neutra* ſeu fere cacochyma &c. Quoad *abſolutam*, *Cous* expreſsè purgationes præſertim fortiores ab ſecuturarum convulſionum metum in exilium mittit *quarto aphoriſmorum decimoſexto*, *item ſecundo aphor. 36.* Conformis eſt hæc poſitio ſacro Textui inquientis: *Bene habentibus non opus eſt Medicô*, hinc quoque in vernalibus & autumnalibus dejectionibus non niſi mitiora (aut fortè nulla) venæſectioni præmittenda; Ratione ſanitatis neutræ etiam cacochymici (qui hujus ſunt ſtatûs) ab illis vehementioribus ſunt arcendi, inde enim ſummè læduntur, *ibidem*, uti & qui *criticè* ex morbo (quocumque, maximè acuto) ſunt ſoluti & Judicati, nam & iſti fruſtra, ac non niſi cum periculo (ni omninò leniſſimum ſit) evacuantur, *ibidem*; ſuadendæ tamen ſunt fœminis decolores & non bene reſpondentes menſes habentibus: *quinto aphor.* 36. denique in *morbis* quid reſpectu auxiliorum dejectoriorum agendum, hinc inde patet; In quantum autem *Senex* de gravidis ſollicitus fuerit, quivis prudens cognoſcet, quippe licet exempla nobis earum quolibet tempore purgatarum ſuppetant, exemplo tamen, ut ſequamur, nobis neutiquam ſint, nunquam etenim (niſi notabilis adſit humorum turgeſcentia) purgandæ, & quidem duntaxat à *quarto uſque ad ſeptimum menſem*, *quarto aphor. primo & quinto aphor 36.* Accedimus porrò ad

N. 2. *Quid?* ubi iterum ex ſupra allegatis clariſſimè eluceſcit, *cruda nunquam* (*niſi materia turgeat*) *ſed ſolùm pathologice cocta educi debere*, *primo aphor.* 22. quippe hæc

conſe-

conferunt, ex sic sæpe spontè cum euphoria fluunt, quarto aphoris. 2. item ibidem *tertio* & *primo aphoris.* 25. nec non *primo aphor. secundo.* Ad quid etiam

N. 3. *Quantum?* fere pertinet, inde purgationes pessimò consiliò â pluralitate sedium &copia excretorum utiles hariolabimur, nisi respectivè extrema censeatur esse necessitas, *primo aphor.* 23. Nec insuper convenit repente, sed sensim (si requiritur) deplere *secundo aph.* 51.

N. 4. Post quid sequitur *Ubi?* videlicet ἄνω καὶ κάτω sursum ne vel deorsum purgandum sit, de quo sequentes tenebis regulas; *Primo* ante omnia ad naturæ tendentiam (quæ sit cum ægri tolerantia & euphoria) attendendum est, ni hæc sit symptomatica, sed humorem per loca naturæ commoda evacuet, *primo aphor.* 21. *secundo* facilius graciliores & colerici, quàm habituosi & habitiores sursum purgantur, his dejectiones per inferius guttur magis conveniunt, *quarto aphoris. sexto & septimo* quemadmodum & melancholici pleniùs sic evacuantur, *quarto aphor.* 9. Insuper qui ex serosa illuvie ad tabem tendunt, ad vomitum non sunt movendi, *quarto aphor. octavo.*

N. 5. Si quæris, *Quibus auxilijs?* Responsio in promptu est, ut dedimus in nostra *Basi* lib. 5. c. 4. §. 9. & seq. Dolores supra diaphragma magis *Emetica*, & affectiones infra illud, purgantia (si cætera coindicant) expetunt, *quartoaphor. decimo octavo.*

N. 6. Miraberis fosan *cur* tam cautè, tam circumspectè in his auxilijs procedendum esse statuamus? Respondeo *primo* audijsse Te superius, quàm calamitosi sæpe ex perversa purgatione sint subsecuti effectus, quales sunt convulsiones &c. Secundo quod ab ea gutta sit exorta *Ephem. Dec. I. anni* 1. 3. etiam gangræna, & prolapsus intestini, *Dec.* I. anni 1. Quarto ex resinosis convulsiones epilepticas (veluti etiam ter mulieri hujati Friburgensi accidit) supervenisse, legimus in *Dec.* 2. *ann.* 7. deinde 5. hydropem non curant *Dec.* 3. ax. 9. & 10; 6. paræsin ex vino exasperant, *Dec. I. an.* 2. 7. Item eorum usus in alvi fluxu infantum periculosus est *Dec.* 2. *ann.* 10. mille alia taceo & transgredior ad

N. 7. *Quomodo* corpora tandem ſint purganda, ubi rurſus *Cous* præ it aiens: ea mobilia ſeu fluida reddenda, ſecundo aphor. 10. fibræ ſcilicet ſtrictæ relaxandæ, humectandæ, ſpasmodica contractio (quæ ſæpe contumaciſſimæ alvi obſtipationis autrix eſt) tollenda, inde & balnea ſubinde adhibenda, & hoc magis neceſſarium eſt ijs, qui difficulter purgantur, penes tamen purgatione indigerent, ubi præprimis humectandum, pleniore nutricatu & requie utendum, *quarto aphoriſ.* 13. ante omnia autem magna eſt cautela adhibenda, antequam in acutorúm principio purges, *primo aphor.* 23.

N. 8. Agmen tandem noſtrarum quæſtiuncularum claudit ipſum *quando?* in quo paſſu clarè videtur *Senex*, *duo tempora* velle obſervari, *unùm* nempe pro *præſervatione*, & *alterum* pro *curatione*; Ratione *primi temporis* ait expreſsè in & ante canem difficiles eſſe purgationes, *quarto aphor. quinto*, quaſi nobis inculcaret, quandocunque aliàs ad valetudinem ſarctam tectamque conſervandam medicamentum evacuans exhibueris, licet id facere, ſed ne purpes hoc tempore, corpora enim inde vel maximè exolvuntur, vult autem quaſi totam æſtatem intelligere, quippe expreſsè alibi ponit, in æſtate magis convenire (ob materiæ fluiditatem) vomitoria, in hyeme autem dejectoria deorſum &c. Quoad *curationem* ſapientiſſimè nobis inſinuat in febribus vel nunquam vel rariſſimè eſſe purgandum, & quidem præſertim in acutis, ubi maximam conſiderationem applicandam eſſe aſſeverat, *primo aphor.* 24. imò omninò non, niſi materia turgeat, *quarto aphor. decimo.* In reliquis verò temporibus febrium, ſingulariter in ſtatu ac vigore in totum prohibet, *ſecundo aphoriſ.* 29. Quinimò abſente turgeſcentia humorum purgationes diſſuadet, *primo aphor.* 22. Dum hæc autem de febribus ſtatuit, eas neutiquam de morbis chronicis (modò mitioribus inſiſtamus) intelligit, modò noſtras in *Baſi* medica adductas cautelas circumſpectè adhibeamus: Atque hæc ſunt, quæ pro hiſtoria *Intemperati Hippocratici* Docto moderno orbi & ſcitu adhucdum neceſſaria, imò & ſufficientiſſima cenſui,

nec

nec enim uberius ad ulteriora me urge, habes enim ad luxuriem usque etiam apud probatissimos & Classicos Authores remedia, invenies & formulâs in longa serie & omni abundantia, duntaxat unicum hoc addo, convenire nempe amaro nostro *hepatica* antiquis dicta; acido, *antimelancholica*; pituitæ *incidentia* & resolventia &c. prout uberius in antecentibus de *Alterantibus* cap. 10. edoctus es. Quare hisce quiesce, nam & ego quiesco, donec ulteriora de Medicamentis Tibi subministrem, inde abrumpo filum, & Operi huic impono (utinam felicem.)

F I N E M.



INDEX
Rerum & Verborum.

Ignis

FINIS.

